HUGO HENRICUS PAOLI

CICERONIS FILIUS



F. LE MONNIER FLORENTIAE EDIDIT A.D. MCMLXIV

HUGO HENRICUS PAOLI

CICERONIS FILIUS

puerilis narratio
ad domesticos Romanorum mores illustrandos
in usum scholarum
redacta

Editio sexta

F. LE MONNIER FLORENTIAE EDIDIT A. D. MCMLXIV

Prima edizione, Dicembre 1958
Seconda edizione, Agosto 1959
Terza edizione, Gennaio 1960
Quarta edizione, Ottobre 1960
Quinta edizione, Ottobre 1961
Sesta edizione, Gennaio 1964

Edizione francese (con note e vocabolario) (Parigi, O. C. D. L.)

Prima edizione, 1960
Seconda edizione, 1964

Edizione tedesca (Berna - Monaco, Francke)

Prima edizione, 1960
Seconda edizione, 1961

Edizione americana (New York, Noble and Noble)

Prima edizione, 1960

Edizione inglese (con note e vocabolario) (Londra, Longmans)

Prima edizione, 1963

PROPRIETÀ LETTERARIA RISERVATA

© COPYRIGHT 1964 BY FELICE LE MONNIER – FIRENZE
PRINTED IN ITALY

per la Francia e i paesi di lingua francese, compreso il Canada
Casa Editrice O. C. D. L. di Parigi

per i paesi di lingua tedesca
Casa Editrice Francke di Berna e Monaco di Baviera

per gli Stati Uniti
Casa Editrice Noble and Noble di New York

per la Gran Britannia e i paesi del Commonwealth
(escluso il Canada)
Casa Editrice Longmans di Londra

№ 2314

369-63 - Stabilimenti Tipografici « E. Ariani » e « L'Arte della Stampa » - Firenze

FRANCISCAE PAOLETTI

PRIMA LATINAE LINGUAE ELEMENTA

HOC ANNO INEUNTI

A. D. MDCCCCLVIII

Cicero, M. Tullii Ciceronis filius, Romae nascitur.

Anno sexagesimo quinto a. Chr. n. M. Tullius Cicero, maximus Romanorum orator, scripserat ad T. Pomponium Atticum, quem amicum fidissimum habebat: « Filiŏlo me auctum scito, salva Terentia ». Puer magnam laetitiam ortu suo adtulit et Ciceroni patri et matri Terentiae, quorum in domo usque ad id tempus una tantum filia creverat, nomine Tullia, tum, cum parvus ille frater natus est, annum agens quintum et decimum.


Filiŏli ortus patri nuntiatur.

Magnopere Cicero laetatus est, cum ad illum, in tablino sedentem, ancilla quaedam accessit hilarique vultu velle se aliquid dicere significavit. Anus prudens erat, cui et Cicero et Terentia, multis in rebus bene cognitae, maxime confidebant. Cum ille: « Loquere » dixisset, « Gaude, Marce », ait, « di propitii fuerunt; mas tibi filius natus est. Iam illum humi statui; propera, quaeso, ut quam primum modo natum puerum humi iacentem tollas ». Mos enim erat Romanorum ut filium pater agnosceret e terra tollendo.

Primae infantis curae.

Parvum Ciceronem a patre sublatum ac deinde in alveo lautum eadem ancilla fasceŏlis puerilibus vinxit; ad hoc enim multae fasceŏlae iamdudum paratae erant albo colore vel rubro. Illum tandem in cunis deposuit atque, quo citius somnum caperet, naeniŏlam cantitare coepit: « Lalla, lalla, lalla; aut dormi aut lacte ». Iuniores ancillae interea

ianuam, ut mos erat, coronis ornabant, ut praetereuntes scire possent puerum intus natum esse; aliae, ad puerum videndum admissae, Terentiae gratulabantur, ac Lucinae,



« ancillae ianuam coronis ornabant ».

quae dea partubus praeesse dicebatur, grates agebant, bona omina proferentes.

Dies lustricus.

Die nono postquam puer natus est, sollemniter in M. Ciceronis aedibus *dies lustricus* celebratus est. Eo die infantes nomen accipiebant, precationesque fiebant ut futura omnia illis fausta essent, ut mors, morbus, ceteraque mala ab illis averterentur. Haec *lustratio* dicebatur, quod verbum idem

significat quod purificatio. Maribus dies lustricus nonus erat, feminis octavus. Parvo Ciceroni praenomen inditum est Marcus; nam apud Romanos primogenito filio patris praenomen plerumque imponebatur; qui mos a Graecorum more et a nostro differt; saepius fit enim apud omnes gentes ut nepos avi nomen referat, quam filius patris.

De Romanorum nominibus.

Puer igitur, postquam nomen accepit, factus est, ut pater, M. (= Marcus) Tullius Cicero. Triplex est enim Romanorum nomen: Marcus *praenomen* vocatur, Tullius *nomen*, Cicero *cognomen*; primum singulis viris proprium est, nomen est alterum gentis, tertium familiae. Praenomen una tantum littera scribebatur: M. pro « Marcus », T. pro « Titus ». Neque vero veteres Romani praenomine illo ad pueros appellandos in cotidiano ac familiari sermone utebantur, sed cognomine: M. Cicero, cum de filiŏlo suo inter familiares loqueretur « Ciceronem nostrum » dicebat, non « Marcum nostrum ». At filiae nomine gentilicio appellabantur: Ciceronis filia Tullia erat, ut Scipionis Cornelia, ut Caesaris Iulia.


Ciceronis dies lustricus celebratur.

Cum in M. Ciceronis aedibus illius filii dies lustricus celebraretur, magna omnium frequentia facta est. Florebat enim M. Cicero et eloquentiae fama et in re publica auctoritate, cum superiore anno praeturam esset adeptus, consul brevi futurus. Magna propinquorum, amicorum, clientium multitudo convenerunt, ut de tam laeto eventu illi gratularentur. Clientes, in vestibulo stipati, exspectabant dum admitterentur; ceteri atrium et peristylium compleverant.

Romana domus. Atrium, compluvium, impluvium.

Quoniam de Ciceronis aedibus mentio incidit, res postulare videtur ut de Romanorum domibus brevi disseramus.

Romanorum domus circa atrium ac peristylium totae aedificatae erant, atque in hoc potissimum a nostris differebant, quod non ex externis fenestris aerem et lucem, ut aedes nostrae, admittebant, sed ex atrio et peristylio. *Atrium* aula quaedam erat cuius tectum medium ita patebat, ut



« domus circa atrium ac peristylium totae aedificatae erant ».

quadratum foramen efficeret, quod *compluvium* vocabatur. Per compluvium illud solis lumen et aer per domus conclavia perpetuo diffundebantur. Cum plueret, aquae, in ipsam domum immissae, in locum quendam recipiebantur quem vocabant *impluvium*. (Non desunt tamen inter veteres scriptores qui compluvium impluvium vocent, et impluvium compluvium). Impluvium in atrii pavimento ea ratione cavatum erat, ut marmoreum alveum efficeret, varie exornatum; cum vero et ipsum perforatum esset, aqua de compluvio collecta per foramen illud in cisternam quandam confluebat et colligebatur, ut ad domesticos usus adhiberetur.


Cubicula et alae.

Ab atrio per parietes, qui a duobus atrii lateribus ducti erant, aditus ad *cubicula* dabatur, loca ad dormiendum tantum apta; nam et angusta plerumque erant et exiguo lumine illustrata, cum nullae ibi fenestrae essent. Ut figura docet,

in extrema atrii parte murus ita recedebat, ut duo vacua loca ibi exsisterent, quae *alae* dicebantur. Quem ad usum alae adhibitae sint non satis constat.

Tabernae.

Iuxta ianuam loca aliquot erant, cubiculis similia, eadem altitudine adspectuque simili, quae tamen non ab atrio adibantur sed ab ipsa via, *tabernae* dictae. Illas dominus aedium propōlis locabat, qui mercibus vendendis vivebant. Harum tabernarum pars superior, ligneis tabulatis ab inferiore separata, ab ipso tabernario plerumque habitabatur, vel inquilinos alios accipiebat, quibus tuguria illa pro domo erant. Aere et luce carebant atque inter mures, quasi et ipsi mures essent, vivebant.



Lararium.


De atrii usu.

Antiquis temporibus pater familias in ipso atrio cum uxore et liberis magnam diei partem morabatur. Ibi liberos educabat, servis imperabat, rem familiarem administrabat. Clientes etiam primo mane in atrio exceptos audiebat. Ibi familia tota solebat cenare, hieme ibi liberi et servi apud focum adsidentes frigus dissolvebant; nam cum nulla in priscis aedibus culina esset, focus in atrio accendebatur, cibi parabantur. Mutatis moribus, postquam peristylia aedificari coepta sunt magnis conclavibus circumdata, domini familia libentius in illis quam in atrio versabatur. Suum tamen locum in atrio, ut ante, obtinebant et sacellum illud, Larārium dictum, fa-

miliaribus Laribus dicatum, et *arca*, ubi pater familias quicquid vel pretiosum erat vel diligentius adservandum, custodiebat.

Maiorum imagines, cerae dictae.

Nobilium in aedibus, singulis armariis atrii parietibus adpositis, maiorum imagines servabantur. Imagines illae, cum maiorum vultus cera expressi essent, *cerae* dicebantur.



Arca.

Mos erat ut diebus festis armaria aperirentur ac proavorum cerae laurea corona ornarentur. Cum vero nobilis alicuius viri funus duceretur, conducti homines, cum proavorum imagines vultibus suis aptassent, vestibus magnificis, quae tantos viros decerent, humeris induti, defuncti feretrum comitabantur, tamquam si maiores ad illius exsequias cohonestandas convenissent. Lictores atque insignia praecedebant, ut ostenderent quo quisque loco in honorum cursu fuisset: qui consulatum adepti essent, qui praeturam, qui aedilitatem curulem. Illi, qui proavorum partes ferebant, Ciceronis aetate celsis feretris iacentes vehebantur, posterius stantes.

Cicero, homo novus.

Ciceronis in atrio nullae proavorum cerae erant; nam ille, obscuro genere natus, suorum primus rem publicam tractavit. At, vir lautus et urbanus, non mediocribus divitiis praeditus, tanta magnificentia peristylium ornaverat, ut omnium oculi summopere delectarentur. Cum vir quidam, dicax et maledicus, per Ciceronis aedes eo die cum ceteris versaretur, splendidamque illam ac recentem supellectilem invidis oculis spectaret, omnesque pretiosum quoddam armariŏlum admirarentur:

« Facilius », ait, « armaria parantur quam cerae ».

Idem cuidam interroganti: « Nonne haec omnia virum magnum videntur decere consulemque futurum ? », « Quid mirum », respondit, « si in *hominis novi* aedibus omnia nova sunt ? ».



« singulis armariis... maiorum imagines servabantur ».

Romani enim, si quis ad summos honores pervenisset, cuius maiores nullum ante magistratum essent adepti, *hominem novum* illum vocabant. In Latino sermone igitur contraria verba sunt « homo nobilis » et « homo novus »; alter « vir multarum imaginum » dici solebat, alteri maiorum imago nulla erat.

Fauces, vestibulum.

Quisquis e via publica domum intraverat, atrium statim ingrediebatur; neque tamen ianua in atrii pariete sita erat, sed in angusto quodam aditu. Huius aditus, e via publica recedentis, quae pars ante ianuam erat, *vestibulum* vocabatur, pars posterior *fauces*. Clarorum virorum aedes amplioribus ac splendidioribus vestibulis praeditae erant, cum mos esset Romanorum ut clientes primo mane patronum suum salutarent, « Have! » dicentes; frequentes igitur in vestibulo morabantur, donec intrandi licentia fieret.

« Cave canem! ».


Ianuae cella adiacebat, in qua servus aliquis, ex iis delectus quos dominus fidissimos putabat, perpetuo manebat. *Ostiarius* vocabatur, eiusque munus erat domus aditum die nocteque summa vigilantia custodire. Domestici Molossi plerumque aderant, quorum metus fures a domo arcebat; atque, quo maior terror furibus iniceretur, in vestibuli pavimento, tessellis strato, ringentem canem crustarii effingebant, hoc titulo quadratis litteris addito: CAVE CANEM.



« Cave canem! ».

Ianua.

Ianuae partes erant: *postes*, *limina*, *fores*. Limen, quod sub pedibus intrantis erat, *inferum* dicebatur, quod super caput, *superum*. Si quis tamen « limen » nullo alio verbo addito dixisset, *limen inferum* intellegendum erat. Postes, ex lapide vel ligno facti, spatium, quod proprie *ostium* vocabatur, utrimque finiebant, atque ita erant collocati, ut, in limine infero insistentes, limen superum sustinerent. Ostium ipsum fores claudebant *pessulis* instructae. Ligneae erant, aere et ebore in ditiorum aedibus ornatae. Saepius tamen clavi trabales pro ornamento erant, lato capite ex externa facie, ubi defixi erant, eminentes.



Ianua.

De quibusdam Romanorum superstitionibus.

Romanorum animos variis superstitionibus imbutos esse satis constat. Cum enim putaretur, si quid mali forte intus incidisset, id per ianuam domum intravisse, multis modis cavebant ne calamitatem ullam ianua admitteret: ARSEVERSE igitur in foribus inscribebant, ut magico illo vocabulo periculum incendii averteretur, vel lupi barbam suspendebant, quae mala omnia domo averteret. Eam vim enim in lupi barba inesse putabant.

Postıcum.


Differt ab ianua *postīcum*; ostiŏlum id erat per quod ab angiportu in aedium latere sito, accessus alter in interiores aedium partes dabatur. Domestici famuli, institorum ministri, omnis baiulorum turba hoc ostiŏlo solebant intrare, ne transitus per atrium nimius fieret, aptiusque illi ad culinam pervenirent, quae in omnibus fere aedibus prope postīcum sita erat. Dominus ipse interdum postīco exire properabat, si quando fastidiosi alicuius hominis molestiam vel contumacem clientium pertinaciam effugere vellet.

Tablinum, cenaculum.

In atrii extremitate spatiosum quoddam patebat conclave, quod *tablinum* vocabant; fauces et ianuam ex adversa parte id prospectabat, ex aversa peristylium. Tablini pars superior, ubi veteres Romani interdum solebant cenare, *cenaculi* nomen etiam tum servabat, cum more Graeco triclinia aedificari coepta sunt. Posterius cenacula ea quoque loca dicta sunt quae in insulis sub tegulis habitabantur.

Andron, peristylium, triclinium, oecus.


Brevis et angustus *andron* transitum dabat ex atrio ad *peristylium*. Hortus is erat amoenissimus arbusculis consitus, areŏlis distinctus, marmoreis ornamentis decoratus. Buxi vel lauri saepes areŏlas circumdabant; parvae sed nitidae



Cenaculum.

gestationes, inter areŏlas currentes, iter dabant ad porticus, quae interiores peristylii partes exornabant, vel ad amplissima conclavia. Haec, si ad cenandum apta erant, *triclinia* dicebantur, si ad amicos accipiendos, *oeci* vel *exhedrae*. Ditiorum hominum in peristyliis magna etiam fontana inveniebatur, loco clauso exstructa, ubi marmoreum labrum aquam ex alto redundantem excipiebat. In medio vero peristylio saepe fonticulus situs erat, vel marmoreum triclinium.

Aestivis caloribus patri familias gratum erat cum uxore et liberis in aperto cenare. Ciceronis temporibus ampla erant peristylia et venusta; sed antequam apud Romanos Graeci mores invaluerunt, quo tempore vetus adhuc disciplina vigebat vivendique ratio simplicior erat et durior, nondum post tablinum peristylia aedificabantur. Priscis illis




Peristylium.

viris satis erat quod postremae domus parti parvus tantum hortus adiacebat, quem pater familias manibus ipse suis colebat, ne herbae atque olera mensae deessent. Ad harum exemplum recentioribus etiam temporibus, quamquam perraro, aliquot domus vetusto more aedificatae sunt.

Suspensurae et parietes tubulati.

Vere, cum caeli serenitas esset, atque aestate plerumque, infantis Ciceronis cunae in peristylii horto ponebantur. Mite est enim caelum in urbe Roma et aer saluberrimus. Dormiebat ille in ipsis cunis fasceŏlis involutus, vel adsidenti matri pueriliter ridebat, vel papiliones passim volitantes oculis sequebatur. Cur enim non id faceret, quod pueri omnes faciunt? At hieme in cubiculo magnam diei partem detinebatur; neque vero timendum erat, vel si tempus anni asperius

esset, ne ille, frigore laesus, in morbum incideret, ac pituītis aut distillatione laboraret; nam hieme quoque aedes modico calore tepebant. Ea enim ratione aedificabantur, ut vacua spatia, *suspensurae* dictae, sub pavimento relinquerentur. Ex fornace in imis aedibus exstructa, cuius ignibus aqua calida ad balneum calefaciendum atque ad ceteros domesticos usus parabatur, vapor per suspensuras diffundebatur parietesque pervadebat; qui, cum in interiore parte in longitudinem perforati essent, *parietes tubulati* dicebantur.



« in ipsis cunis ».

Vir dicax Ciceronem oratorem adit.

Erat, ut supra diximus, in M. Ciceronis clientibus vir quidam dicax ac maledicus. Hic, quamquam aliquot beneficiis ab illo erat adfectus, si quid tamen improbi dicendum erat, linguae temperare nequibat. Accidit autem ut quadam die, cum praeter solitum hiems imbri maximo ac vento saeviret, vir ille, in M. Ciceronis conclavia admissus, litteras illi traderet a quodam amico missas. Eo tempore M. Cicero summopere nitebatur ut ad consulatum perveniret; plurimae igitur epistulae a fautoribus adferebantur. Accepit Cicero clientem suum, ut illius mos erat, humanissime; grates egit propter epistulam sibi adlatam; nummos aliquot adiecit.

De insulis inquilinis locandis.

Cum vero ille domum redire coepisset, haec secum in itinere meditabatur: « Longe aliter divites vivunt ac pauperes. Domos amplas ac magnificas illi possident; at nos in *insulis* nostris minore spatio utimur quam apes in alveaοribus, in stabulis pecus ».

Insulae dicebantur lata quaedam et excelsa aedificia quorum muros via publica continuo circuitu cingebat. Singulae insulae complures privatas aedes continebant, vix ad domicilii commoditates praebendas idoneas. Pauperiores cives illas modica pensione conducebant atque habitabant cum familiis suis. Harum aedium exemplum exhibent veteres illae insulae quae nuper Ostiae effossa terra ad lucem restitutae sunt.

De insularum incommodis.

« Divitum conclavia plano pede aedificantur; turres, si quae sunt, a servis et ancillis habitantur. Nos vero sescentas scalas ascendamus necesse est, ut in aedes nostras perveniamus. Ipse summum tabulatum habito, unde, si de fenestra praetereuntium turbam despexi, formicae illi, ut ita dicam, mihi videntur, non homines. Satis esse aiunt, si nos habitandam domum habemus, cum plebs infima in tabernis vivat. At quam domum! Divites omnia habent in aedibus suis: lucem, aerem, aquarum fonticulos; in urbe viventes rus habent intus et nemus. Nostrae aedes ex fenestris in viam prospicientibus lucem capiunt; quibus obseratis, lumine carere necesse est: tenebrae intus sunt, vel die medio ». (Nondum enim usus vitreorum obicum fenestras claudentium satis vulgatus erat. Rara erant specularia neque illa, ut nostra, perspicua).



« suem apud lanium esse mactatam ».

« Quid de quiete illa dicam qua divites soli domi fruuntur? Aedium muri nullas fere fene-


stras habent; solidi sunt et spissi, strepitus omnes arcent. Viarum clamor non laedit aures, somnum non aufert. Nec nares odor ille taeter offendit, quem compita exhalant et nos perpetuo per fenestras angustum cubiculum invadentem naribus excipimus. Suavis odor apud illos e peristylii rosariis per domum totam effunditur; at me, quamvis cenaculum habitantem, nares meae cotidie certiorem faciunt caprarum gregem sub fenestris transisse, suem apud lanium esse mactatam, mortuam felem in via putrescere ».

De insularum conclavibus.

« Divites, quo commodius habitent, aedes ita aedificari iubent, ut singula conclavia ad usum suum respondeant, ut alia apta sint ad cenandum, alia ad clientes audiendos, alia ad dormiendum. Quin etiam in illorum cubiculis ipsa pavimenti ornamenta ac paries apte incavatus indicant quo loco lectus collocandus sit. Apud nos contra conclavia omnia similia sunt, ut capsula capsulae: inquilinus, qui superius domum meam habitavit, liberos docebat ubi ego dormio; qui post me eandem domum habitaturus est, ibi fortasse cenabit, post illum alius, si forte sutor erit, sutrinam faciet. Haec tamen ferenda sunt, nam, si pecunia deest, non licet esse delicatis. At quid quod semper ruina impendet? Parietes rimas agunt; externus murus iam corruisset, nisi obliquo tigno fultus esset. E tecto avolaverunt tegulae; cenaculum perpluit; ventus nobiscum gratis habitat, nulla pensione soluta ».

Tulliŏlae nuptiae parantur.

Tertium annum Cicero agebat, cum animadvertere coepit complures iam dies domum suam praeter solitum virorum et matronarum multitudine frequentari; matrem interdum laetiore esse vultu, interdum anxiam videri; sororem Tulliam pupas diligenter exornare easque, quasi discessuram, lacrimantem adloqui: « Valete, pupae! Valete pueritiae et adulescentiae meae sociae dulcissimae! ». Interdum ancillae mu-




Pupa.

liebrem Tulliŏlae mundum diligenter expoliebant. *Mundum* Romani adparatum illum vocabant, quo mulieres ad cultum corporis formaeque curam utebantur: acus crinales, pectines, specula, pyxides varias unguenta continentes, scrinia ad aurea ornamenta servanda. Parvus erat Cicero, nec satis acuti ingenii; intellegebat tamen novi aliquid in aedibus fieri. Nuptiae enim Tulliŏlae parabantur.

De Tulliŏlae sponsalibus.

M. Cicero, antequam filiŏlus ille natus est, filiam Tulliam duodecimum annum agentem C. Calpurnio Pisoni Frugi spoponderat. Ea res tum inter sponsae patrem et sponsum agebatur. Aiebat hic: « Spondesne te filiam tuam mihi uxorem daturum? »; cui ille: « Spondeo ». Ea sponsalia dicebantur. Ante sponsalium diem Tulliŏla ignoraverat quem sibi sponsum pater destinaturus esset; nam apud veteres Romanos mos ille vigebat, ut filiae patris auctoritati in omnibus rebus essent obnoxiae, nec ipsae sponsum sibi eligerent, sed a patre datum acciperent. Sponsalibus peractis, Piso Tul-



Muliebris mundus.

liŏlae aureum anulum tradidit, medio sinistrae manus digito usque ad nuptias gestandum.

De die nuptiali.

Tulliŏlae nuptiae eodem anno celebratae sunt quo M. Cicero ad consulatum pervenerat, magna civium frequentia ac multitudine. Quo mense Tullia Pisoni nupserit non satis constat; credendum tamen non est in mensem Maium nuptias illas esse constitutas, qui mensis infaustus habebatur. In die nuptiali eligendo Romani adeo superstitionibus obligati erant, ut et Maium mensem totum, et priorem Martii et Iunii partem vitarent, et Kalendas insuper, et Nonas, et Idus, ne de omnibus diebus dicamus qui religiosi putabantur.

Tulliŏlae vestis nuptialis.

Pridie nuptiarum diem Tulliŏla togam praetextam, quam Romanorum virgines induere solebant, cum pupis suis Laribus dicavit. Albam vestem nuptialem deinde induit, quae *tunica recta*, vel *regilla*, vocabatur. Sic ornata in cubiculum suum discessit suoque in lectulo tota nocte iacuit.

Die nuptiali Tulliŏlae ancillae singulari quadam arte illius comas compserunt, ut in sex tutulos colligerentur atque *sex* illos *crines* efficerent, in quos novae nuptae capilli, ut mos erat, deducebantur. Ad id officium ferrum recurvum adhibuerunt, cui nomen erat *hasta coelibaris*.

Tulliŏlae nuptiae celebrantur.

Initium nuptialis ritus *auspices* dederunt, quibus auspicia capientibus Cicero pater adfuit; rettulerunt illi favere deos novo conubio; faustum id fortunatumque futurum. Atrium deinde Tulliŏla est ingressa, flammeo velata, vultu demisso levique rubore suffuso. Illam *pronuba* comitabatur, mulier aetate et spectatis moribus venerabilis, quam Tulliŏlae parentes ad id officium inter *univĭras* delegerant. Apud Roma-

nos quae mulier uni tantum viro nupsisset, *univĭra* dicebatur: morum integritatem id testabatur, omenque adferebat stabile ac felix conubium fore.

Dextrarum iunctio.

Dum ceteri novae nuptae gratulantur, dum matronae illam spectant, laudant, amplexantur, Cicero ac Piso coram decem testibus *tabulas nuptiales* signaverunt, iamdudum, inde a sponsalium die, exaratas. *Dextrarum iunctio* secuta est, quo ritu nihil sanctius in celebrandis nuptiis erat, nihil sollemnius. Pronuba Tulliŏlae dexteram in dexteram Pisonis iniecit; manu invicem adprehensa, uxor marito, maritus uxori polliciti sunt velle se vitae consortes esse amore perpetuo ac fide bona. Plausu ac clamore omnes qui aderant dextrarum iunctionem prosecuti sunt. Triclinium deinde intraverunt ubi lautum convivium apparatum erat.



« pronuba dexteram in dexteram iniecit ».

Quanti M. Tullius Cicero artem coquinariam fecerit.

Laute convivari Romani solebant, cum certis quibusdam temporibus, tum maxime in nuptiis. Cicero, qui consul eius anni esset filiamque unicam apud nobilem iuvenem in matrimonio collocaret, nec curis eo die pepercit, nec pecuniae. Hominem in foro insignem, summum rei publicae magistratum obtinentem non puduit, id quod mirum videri potest, coquis imperitare eosque consilio regere, ne quid in arte coquinaria delin-

querent. Vehementer errat, si quis putat artem illam Ciceronis temporibus vilem habitam esse et despectam. Quam multos nominare possum qui, summi imperatores in bello, summa auctoritate in re publica praediti, domi tamen diligenter culinam suam curaverunt, ac cenandi magistri habiti sunt: ut Dolabellam, ut A. Hirtium illum qui Caesaris legatus fuit mortemque in proelio Mutinensi obiit, ut alios complures. Cicero ipse in epistulis, quae exstant, se fatetur in arte coquinaria non mediocriter esse versatum.



« vel a pistore emptum ».


De Romanorum conviviis. Cena, prandium, ientaculum.

Quam Romani *cenam* vocabant, semel in die sed copiose apparabatur; cena vero, quae quotidianam consuetudinem cibi capiendi excederet, convivium etiam dicebatur, aut, si publice celebraretur, epulum. At simplex *prandium* erat, simplicius *ientaculum*; alterum sub meridiem comedebatur, primo mane alterum. Cena non ante incipiebat quam sol occidisset; intemperantiae indicium putabatur, si qui ante solis occasum in convivio discubuissent: eae cenae *tempestiva convivia* dicebantur. In prandio parcus cibus capiebatur, nulla mensa adhibita. Pueri in litterarum ludum itantes ientaculum secum ferebant, vel domi paratum, vel a pistore emptum.


De tricliniis.

Romani stantes prandebant, discumbentes cenabant. Consuetudo illa, ut convivae discumbentes cenarent, bel-

lorum Punicorum aetate invaluit, cum Romani Graeco more vivere coeperunt. Feminae tamen Ciceronis temporibus cum viris discumbentibus sedentes cenabant. In triclinio tres lecti strati erant, eo ordine dispositi ut imago ostendit: *lectus summus, medius, imus.* Summus dicebatur qui a sinistro latere medii lecti situs erat; qui a dextro, imus. Eodem nomine in singulis lectis tres loci distinguebantur: *locus summus, medius, imus.* Qui inter convivas dignitate excelleret, imum locum in lecto medio occupabat, *locum consularem* ob id dictum. Iuxta eum, loco summo in lecto imo, dominus plerumque discumbebat. Hac vero aetate etiam lunati lecti in convivio adhiberi coepti sunt; *sigmata* vel *stibadia* vocabantur.



«feminae cum viris discumbentibus sedentes cenabant».



Triclinium.
A. *l. summus.* – B. *l. medius.* – C. *l. imus.* – D. *Mensa.*




Sigma (vel *stibadium*).

Cenatoria supellex.


Mensa iuxta convivas posita rotunda erat; in mensa ligneum *repositorium* patinas cibis oneratas sustinebat. Ibi et *salinum*, et *acetabulum*, et *lagoena* praesto erant. Facultas erat convivis ut quantum quisque cuperet inde ipse sumeret. Famuli, vacuis lagoe-

nis ablatis, quas convivae exsiccaverant, plenas alias reponebant.

Mos erat Romanorum ut raro vinum merum potarent, sed potius diluerent aqua calida vino immixta, quam quidem vas aeneum continebat ob similitudinem formae *miliarium* dictum. Ad hauriendum vinum concăvum quoddam vasculum aptum erat, longo capulo praeditum: *cyathus* vocabatur. Cum vero Romanorum vina turbida plerumque ac faeculenta essent, vinum *colo* vel *sacculo* liquatum in convivarum scyphos a ministris infundebatur; nix etiam in sacculum inici solebat, si quis forte potionem refrigerare cuperet.




Miliarium.



Cyathus.


Ciceronis temporibus nondum Romani consueverant tricliniares mensas albo linteo obtegere: ignotum adhuc *mantele* erat, quo illi uti non ante Imperatorem Domitianum coeperunt. Convivae cibos digitis arreptos ad os ferebant; nullas enim apud antiquos furculas fuisse satis constat: saepius igitur manus lavandae erant. Ad hoc formosiores servi semel atque iterum catillos circumferentes aquam convivis porrigebant. Cibos iam ante famulus quidam, huius artis peritus, in singula pulmenta minuerat: *scissor* is, vel *carptor*, dicebatur.



Colum.

Ad sorbitiones vel madefactos cibos hauriendos *ligulae* adhibebantur; ligulis similes *cochlearia* erant, ad id idonea,


ut ostrearum valvae facile dehiscere possent. Ligulae oblongae et concăvae erant, cenatoriis instrumentis prorsus similes, quae nos « cucchiai » vocamus; at contra cochlearia rotunda erant ac plana.



Ligulae, cochlearia.

Quaedam parum decens Romanorum consuetudo.

Incredibile dictu: in Romanorum cenis convivae, si quid aspernabantur, vel dentibus mandere atque extenuare nequibant, pavimentum in medium proiciebant: semesos pisces, ossa, adrosa carnis frustula; ne tamen hae ciborum reliquiae convivarum oculos offenderent, interdum servuli, *scoparii* dicti, pavimentum verrentes sordibus illis purgabant.



« semesos pisces, ossa, adrosa carnis frustula ».

De mappa.

Linteam mappam vel convivae domo secum portabant, vel dominus suppeditabat. Duplex mappae usus erat: non enim ad id tantum adhibebatur, ut os abstergeret, sed si quis, inops ac despectus cliens, ad divitum cenam esset invitatus, licebat illi non comesos cibos mappa involvere domumque secum adferre. Qui mos, rarior ante, tum increbruit postquam libera res publica periit, populusque Romanus unius dominatum ferre coactus est. Tum vero, una cum libertate amissa, etiam singulorum dignitas est imminuta.

De tribus cenae temporibus.

Cena, quae proprie dicebatur, post *gustationem* initium habebat; cenam *secundae mensae* sequebantur. Convivii igitur haec tria tempora erant: *gustatio* (vel *gustus*), *cena*, *secundae mensae*. Si forte secundae mensae usque ad multam noctem producerentur, *comissationis* nomen accipiebant. In cena non unum ferculum adponebatur, sed complura. Fercula Romani scriptores interdum *cenas* vocant, ut *prima*, *altera*, *tertia cena* idem sit ac *primum*, *alterum*, *tertium ferculum*. Cena igitur tribus modis dicitur, nam et ipsum convivium significat, et medium convivii tempus, et ferculum.

De gustatione.

In gustatione, quamquam et lactucis et porris locus erat, ii potissimum cibi adponebantur, qui, ut crudae ostreae vel thynni frustula in sale adservata, gulam pervellerent edendique cupiditatem excitarent. Neque ovum unquam deerat, unde saepe illud usurpatum « ab ovo incipere » in proverbii consuetudinem venit. *Mulsum* in gustu potare mos erat, non vinum; ea potio ex melle conficiebatur leni vino immixto. Gustatio igitur et *promulsis* dicebatur.

De cena ipsa.


In cena robustiores cibi comedebantur. Nec solum vitulina et suilla caro adponebatur, avesque vel assae vel elixae

vel in iure suo natantes, omnia insuper genera piscium boletique illi qui inter fungos suavissimi habebantur, sed et glires cibo erant et onagri, et psittacorum linguae. Quin etiam glires in glirariis saginabantur, ut in cortibus capones; nec splendor plumarum pavoni proderat, cum Romani tam formosam avem necarent ut carnibus eius vescerentur. M. Ciceronis epistulae docent quanti ille pavonis carnes fecerit.

De Romanorum culina.


Multa igitur et varia vasa coquinaria erant: ahena caldaria, ollae, situlae, truae, caccabi, craticulae, hydriae, ligulae, clibani, cyathi.

Neque vero simpliciter aut parva cura cibi in culina parabantur; magnum quiddam esse coquorum artificium



Vasa coquinaria: ahena caldaria (a), *ollae* (b,g,h,l), *situlae* (c,d,), *truae* (e,m), *caccabi* (f), *craticulae* (i,t), *hydriae* (k), *ligulae* (n,v), *clibani* (o,p,r), *cyathi* (q,u).

putabatur. Quo magis quisque in arte coquinaria eminuerat, eo pluris emebatur. Coquorum dux, *archimagirus* vocabatur, superbo supercilio ministris suis praeerat, insigni sapientia coquus, impensa pecunia a domino paratus. At varios illos



Romanorum culina.

cibos, quibus in conficiendis Romanorum ars coquinaria excellebat, quisnam hodie nostrorum hominum ferat? Quis non stomacho laboret, si fungos melle confectos comederit, vel pisces mali Armeniaci suco madidos, vel salsamentis condīta poma, vel carnes acri illo iure condītas quod *garum* dicebatur?

De iure quod « garum » dicebatur.

Garum ius quoddam erat ex piscibus confectum, quos minutatim scissos cum ipsis extis ad solem putrescere sine-

bant. Cum tempus et solis calor mixturam illam fermentassent, *liquamen* inde fiebat. Calatho deinde in liquamen immerso, exspectabant dum liquaminis pars purior in calathum sensim permanaret ac, sic liquata, a faece secerneretur; id *garum* erat; faex illa residua *allec* dicebatur, et ipsum ad culinae usum idoneum. Garum, in amphoris conditum, in aedium cellis servabatur; illud coqui ad complures usus adhibebant. Ex omnibus piscibus ad garum conficiendum maxime idoneus scomber erat; sapore scomber ille excellebat quem Hispani in aquis suis piscabantur. Garum optimum igitur ex Hispania importabatur magnoque pretio Romae emebatur.


De secundis mensis.

Perfecta cena, non ante secundarum mensarum initium fiebat, quam dominus Laribus, vino mero in mensam effuso, libasset. Larium parva signa in mensa ad id statuebantur; omnes bona omina proferebant. In secundis mensis placentae adponebantur melle vel caseo confectae, variis cum pomis, atque ad irritandam gulam, quo libentius convivae potarent, sicca bellaria, uva passa, arida ficus. Tempus enim potandi erat, nec ulla iam edendi cupiditate satur conviva tenebatur.

Quos cibos Romani ignoraverint.


Quicquid vel Italiae agri ferebant, vel in villarum cortibus, piscinis, leporariis, glirariis, aviariis alebatur, quicquid ex externis vel maxime remotis terris mari vehebatur, ea omnia Romae divitum mensas ornabant. At quam multa Romanis deerant, quae nunc subtilioris palati homines mensarum delicias putant! Nec minor erat potionum paucitas quam ciborum: « theam », quam dicimus, post meridiem ducere Romanorum matronis mos non erat: nemo enim iis rebus uti potest quae nullae sunt. Nulla apud Romanos lycopersica (« pomodori ») erant, nulla solana tubera (« patate »); nondum vulgatus erat phaselorum (« fagioli ») usus, parum co-

gnita odorata illa tubera («tartufi»), quibus nihil est in mensis nostris exquisitius. Rarissima et ex orientis solis partibus advecta poma citria, suco vel acri («limoni») vel dulci (« aranci»), quae quidem primum post Diocletiani aetatem in Italia crescere coeperunt. Saccharon (« zucchero ») ipsum ad medicinae tantum usum adhibebatur; farina melle et musto subacta puerorum crustula parabantur; cetera bellaria item.




« quicquid in villarum cortibus alebatur ».

Quae apud nos conviviorum iucunditatem potissimum augent, adeo antiquitas ignoravit, ut ne nomen quidem quo illa significari possint inveniatur. Quisnam igitur scire potest quo nomine Cicero, puta, vel Caesar fabam illam Arabicam, quam nos «caffè» vocamus fuerint, si nossent, dicturi?



« ea omnia Romae divitum mensas ornabant ».


Potiones etiam, vino validiores, quas nos «liquori» dicimus, penitus ignorabant. Ne tamen credideris tabernas potorias («bar» recentiores homines dicunt) apud antiquos Romanos nullas fuisse. Thermopolia vocabantur; nec rariores erant quam apud nos.



Thermopolium.


De pane.

Quin etiam pane vesci sero Romani coeperunt, cum ante Punica bella una *puls* in honore fuisset: panis optimus *candidus* vel *mundus* dicebatur; qui rudius confectus esset, *secundarius*; infimi vero generis, *plebeius* vel *rusticus*. Sed panis multifariam fiebat, nec e frumento solum sed ex hordeo, vel etiam ex milio aut panico. Inter varia frumenti genera nobilissimum illud erat quod *triticum* vocabatur. Frumenti semina agricola in aratis agris ligone condebat; postquam vero messis maturuerat,



« panificii opera ».

ex spicis decussa grana molis in pistrīno frangebantur. Tum pistor ex comminutis granis farinam a furfure secernebat, eaque diu ac diligenter subacta ita confectum panem in furno coquebat. Eandem igitur panificii operam apud veteres constat fuisse ac nostra aetate; idem iter, ut ita dicam, tritico conficiendum erat ut de agrorum solo ad hominum mensam, tamquam divinum quoddam donum perveniret. At duplex panis usus apud Romanos erat, nam et cibo erat et remedio; multi enim morbi pane curabantur; quam medendi rationem iamdudum ars medica repudiavit.


Faces.

Tulliŏlae cena nuptialis.


Dum nos de Romanorum conviviis disserimus, in M. Ciceronis domo magnifice convivae epulantur. Cena nuptialis multas horas producta est, cum ab hora nona diei discumbere coepissent. Cursitantes per triclinium famuli magnasque lances capitibus sustinentes, operam suam convivis summa cum alacritate navabant. Altilia adponebantur, muraenae, sumen; complures insuper botelli quos coqui suilla carne farserant, variis condimentis immixtis. Qui ad nuptias invitati eo undique convenerant, integram famem ad convivium adtulerant, neque adhuc ad saturitatem comedisse nec satis potasse videbantur. Timidula Tullia pronubae adsidens comedebat et ipsa; parce tamen, quamquam, septimum et decimum annum cum ageret, puerili voracitate impulsa, suavissimis illis cibis adliciebatur. At summopere cavebat ne gestus edendi alienus esset a matronarum decore; nec manu tota illa sed summis digitis lepide pulmenta carpebat.

Piso Tulliolam rapere conatur.

Dum convivae comedunt, potant, variisque sermonibus et clamore triclinium implent, paulatim advesperascit, iam-

que servuli *faces* adferunt et accensos *lychnos* ad *lychnuchos* suspendunt. At quid fit? Ex improviso Tulliŏlae maritus ex lecto tricliniari surgit, magnum quiddam ausurus; ipsam adprehendit, clamitantem trahit, matre frustra obnitente. Spectant ceteri, hortantur, plaudunt; nemo timet ne quid gravius accidat: haec omnia per iocum fiunt.


Ea enim consuetudine Sabinarum raptus memoria perpetuo renovabatur.




Lychnus.

Incipit Tulliŏlae deductio.

At brevis iocus ille fuit; non diu Piso conatus est uxorem rapere, sed, Tulliŏla dimissa, discessit domumque suam redire coepit. Dum procedit, nuces et bellaria pueris comitantibus effuse iacit. Illum ceteri sunt secuti. Hinc *deductio* initium cepit. Hoc nomine nuptialis pompa significabatur qua nova nupta vespere a patris aedibus in mariti domum deducebatur. Iam in via faces agitabantur, atque inter populi clamores, «Talassio! Talassio!» iterantis, tibiarum sonus audiebatur. Nuptiales faces *taedae* vocabantur.



Taedae.



Lychnuchus.

Nuptialis pompa.

Tum demum Tulliŏla in viam prodiit, quam utrimque pueri duo manu tenebant; puer alius praecedebat, facem praeferens ex spina alba, in ipso M. Ciceronis Larario accensam. Huius ardentis spinae aliquid omnes rapere conabantur, cum putarent illum ad extremam aetatem perventurum, si quis vel minima illius spinae particula esset potitus. Nuptialis pompa subsequebatur; novum maritum omnes convicio ac maledictis insectabantur, ut Romanorum in nuptiis mos erat. Prisca haec consuetudo Fescennina licentia dicebatur. Dum vero nuptialis pompa domui Pisonis appropinquat, « Talassio ! Talassio ! » illud frequentius clamari coeptum est. Id verbum quid significet non satis constat. Ad Pisonis aedes tandem perventum est.

« Ubi tu Gaius, ego Gaia ».

Ubi primum Tullia ad Pisonis ianuam accessit, postes laneis vittis ornavit, limen adipe suillo inunxit, quod bonum opulentiae futurae auspicium putabatur. Dum in eo officio detinetur, Piso, qui iam intus erat, e patefactis foribus caput protulit, rogavitque: « Quisnam es, mulier ? Quaenam vocaris ? »; cui illa: « Ubi tu Gaius, ego Gaia ». Tum virorum circumstantium qui validioribus viribus erant, sublatam Tulliam, ne limen tangeret, in ipsas aedes introduxerunt. Introeuntem uxorem Piso *igni atque aqua* accepit; obtulit enim illi aquam domi haustam ignemque in Larario accensum. Quo ritu illa mariti sacrorum consors facta est. In atrium deinde est deducta; quo postquam venit, iussit illam pronuba ad lectum genialem accedere ibique novae familiae deos orare ut propitii essent. Quibus rebus peractis, discesserunt omnes. At cum parvus Cicero semel atque iterum sororem osculatus digrederetur, neuter lacrimas continuit.

Postridie eius diei, Tullia, matronali stola induta, in Pisonis atrio Laribus sacrificavit.

De primis Ciceronis ludis.

Tulliŏla, quamdiu apud patrem fuit, parvum Ciceronem tantopere dilexerat, ut et saepe cum illo pueriliter luderet, saepius vero in fratre curando matris vices sustineret; erat enim quattuordecim annis maior natu. Tristior igitur puer post sororis discessum factus est, multumque temporis in peristylio terebat, casulas, ut pueri solent, areolarum humo aedificando, vel in harundine equitando; nec tamen amissae sororis maeror minuebatur. Id M. Ciceronem patrem non fugit; qui ut illam aegritudinem a filiŏli animo abduceret, iussit domum suam cotidie aequales pueros vocari, summo loco ortos. Quod illi facillimum fuit, consul cum esset.

De quibusdam puerorum Romanorum ludis.


Pueri illi, cum simul essent, saepe certatim *pila* ludebant, saepe *turbinem* vel *orbem* agebant. Orbis (Graeco nomine *trochus* vocabatur), cum tintinnabulis ornatus esset, crebrum acutumque sonum currens emittebat. Turbo flagello agebatur, orbis vero exīli quadam ac recurva rude cui *clavis* nomen erat. Magnam delectationem omnes ex ludis illis percipiebant. Neque eos pudebat, qui natu paulo maiores essent, equorum munere fungi, aetateque minores humeris vectare; illi, ut equi adsŏlent, calcitrabant, hinniebant, capitibus perpetuo innuentes; hi voce, pedibus, verberibus etiam equos suos incitabant.

« Par impar »; « capita et navia ».

Saepe etiam vel par impar ludebant, vel capita et navia. *Par impar* ludere id erat: quaerebat alter utrum lapilli aliquot, quos ipse manu clausos tenebat, pari numero essent an impari. Victor erat qui sic respondisset ut res se habebat. *Capita et navia* hoc modo ludebatur: nummulo in altum iactato, cuius in adversa parte caput insculptum erat, navis in aversa, providendum erat utrum caput ostendens nummulus ille casurus esset, an navem.

De « musca aenea ».

Magnus puerorum clamor erat et risus, cum illi id luderent, quod Graeco nomine *muscam aeneam* vocabant. Unus ex illis, capite ante oculos fasceŏla obligato, vacuum aerem



« neque eos pudebat equorum munere fungi ».

praetemptans aliquem deprehendere conabatur. « Captabo aeneam muscam », cantitabat; at ceteri: « Captabis tu quidem, sed non deprehendes ». Quam vocem cum iterarent, caecam illam muscam parvula virga verberabant, caute tamen appropinquantes, ne ipsi caperentur. Deprehensus musca aenea invicem fiebat.

Pueri maiores natu imitantur.

Mos est ille puerorum, ut maiores natu ludis suis imitari velint; neque aliter Romae fiebat. Interdum enim parvi illius Ciceronis socii se « iudices » vel « magistratus » esse

simulabant. Consul aliquis creatus, consulis partes sustinebat, lictoribusque stipatus per peristylii ambulationes vel sub porticibus gravi supercilio incedebat. Ficta etiam bella gerebant, acriter proeliantes. Alteri saepe latrones erant, alteri milites, magnoque clamore alius alium verberabant, dum suum quisque adversarium superare conatur; nec raro fiebat, ut simulatae illae pugnae in veras pueriles rixas evaderent.

Dexteritatis praemia.

At nucibus plerumque pueri illi ludebant. Vicissim nitebantur omnes ut, magna nuce iacta, parvum aliquod ca-



« nucibus plerumque ludebant ».

stellum ferirent, sic ex quattuor nucibus exstructum, ut tres nuces humi infixae superpositam nucem sustinerent. Si castellum illud, nuce ictum, corruisset, disiectae nuces praemium victoris erant. Multa etiam alia dexteritatis cer-

tamina fiebant; qui primus in illis fuisset, rex creabatur. Ludentes igitur cantitare solebant: « Rex eris, si recte facies »; quae vox apud Romanos in proverbii consuetudinem venit.

De primis Ciceronis studiis.

Septimum annum Cicero agebat, cum pater eius statuit ut ille prima litterarum elementa disceret. Traditus est igitur *litteratori*, qui puerum blandis verbis oblatisque crustulis excepit, dubium illum quidem et haesitantem, sed non admodum rudem, cum iam ante ab ipso patre institutus, *O* litteram ab *I* littera discernere posset, quod altera rotunda esset, altera recta. Postquam litterator illum erudiendum suscepit, elementa omnia dignoscere atque in cera exarare didicit. Mox litteratori est additus *calculator*, quo magistro rationes subducere coepit. Ostendebat ille qua ratione as unus in partes multas diduci posset, quomodo calculi ponerentur, cetera huius generis. Parum esse aiebat, si quis id tantum nosset bis bina quattuor fieri.

De notariis.

Eo tempore nondum pueri *notario* tradebantur, ut artem illam discerent, quam nos Graeco verbo « stenographĭam » dicimus. Hanc artem qui novit, idoneus fit, notis quibusdam adhibitis, ad verba celeriter chartis mandanda. Serius tamen, cum populus Romanus iamdudum sub principatu viveret, ars notaria vulgata est; tam adsidue illam discipuli sub notario discebant, ut litteras sub litteratore, rationes sub calculatore. Notas igitur parvus ille Cicero non didicit, quamquam in ipsis patris aedibus servus Tiro vivebat, qui primus putatur notas invenisse.

Parvus Cicero in ludum itare incipit.

Primos magistros Cicero domi habuit; deinde in litterarum ludum itare coepit. Cum vel in ludum primo mane iret vel inde sub vesperum rediret, custos illum comitaba-

tur. Servus erat hic natione Graecus, homo severus et diligens nec plane indoctus, quem M. Cicero filio praefecerat ut illum, absente patre, si opus esset, corrigeret, simulque Graecam linguam colloquendo doceret. Nemo enim apud Romanos erat quin, si in studiis paulo provectior esset,




« in litterarum ludum itare coepit ».

Graeco sermone tam bene uteretur quam suo. *Capsarium* conservi custodem illum vocabant, servile officium exprobrantes, quod, cum Cicero ludum peteret, capsam ille gestaret scriptorios calamos continentem; Terentia vero, M. Ciceronis uxor, Graeco nomine *paedagogum*, nobilius quiddam significare cupiens, non sine putida quadam doctrinae ostentatione; nam Romanorum matronae peregrinis verbis libentissime utebantur; qui mos usque ad nostram aetatem permansit.

De Ciceronis scholastico instrumento.

Id erat parvo Ciceroni ingenium, ut a pueritia non tanti litterarum studia faceret, quanti vitae elegantiam externarumque rerum faciem. Specie capiebatur, nec, procedentibus annis, illius indolem aetas mutavit. In ipso scholastico instrumento comparando maximae ei curae fuit, ne quid vile in illo inveniretur, ne quid sordidum: ut recti calami



Scholasticum instrumentum.

essent ac politi, ut scalprum in argentea custodia adservaretur, ut cerarum tabellae eburneis ornamentis splenderent, capsamque in ipsam, ex citro confectam, invidi ceterorum discipulorum oculi converterentur.

Calamus, scalprum, atramentum, cerae, stilus.

Scriptorius calamus parva brevisque harundo erat, cuius pars extrema sic *scalpro* acuebatur ut in cuspidem exiret. *Atramentum* solidum erat, colore, ut verbum ipsum significat, plerumque nigro; ex fuligine fiebat, pice vel resina

exustis. Nec minii usus in litteris exarandis incognitus erat, sed ruber ille color in librorum indicibus adhibebatur. Discipuli in ludis id tantum atramenti aqua solvebant quod cotidianus usus posceret. Membranas vel chartas atramento illinebant, at *ceras* stilo exarabant. *Stili* caput alterum acutum erat, alterum quadrata lamina terminabatur: illud ad exarandam ceram utile erat, hoc ad ceram exaequandam scripturamque delendam.

Cicero in morbum incidit.

M. Ciceroni Terentia uxor nuntiavit aliquot iam dies filiŏlum non bene valere. Sollicitam de illo se esse fatebatur. « Cibum aspernatur », aiebat; « noctu raro quiescit; difficilis et anxius est illi somnus. Interdiu dormītat vel lento collo bracchioque pendente sedet. Animadverti etiam vespere illum febricula laborare ». Quibus rebus auditis, M. Cicero, magna et ipse sollicitudine adfectus, familiarem medicum, quem, ut Romanorum mos erat, in servorum numero habebat, statim arcessivit, eiusque consilio est usus; deinde, cum Ciceronis morbus ingravesceret, medicos alios advocavit.

De Romanorum medicis.

Eo tempore magna erat Romae medicorum peregrinorum multitudo; nam ab aetate belli Punici secundi coeperant ex orientis solis partibus Graeci medici Romam frequentes convenire. Adliciebat eos et splendor urbis et quaestus cupiditas; nulla enim ars erat fructuosior, cum praesertim illi non omnibus aegrotis se subvenire posse profiterentur, sed certos tantum morbos, certas tantum corporis partes singuli medici curarent. Hic febrim levabat, laterum dolorem ille; alius cuti medebatur, alius dentibus, alius gutturi, alius oculis; nec qui chirurgus fracta ossa componebat, vulneribus idem medebatur aut ventris deformitates manu corrigebat. Neque vero medicae deerant quae aegrotantes mulieres curarent.

Quomodo Romanorum medici artem suam exercuerint.


Medicorum alii operam suam apud privatos praebebant, uni familiae, ut qui servi essent, addicti, aut milites apud exercitum curabant vel in ludis gladiatoriis gladiatores; mercede alii artem suam exercebant, si quis illorum officium posceret. Illi qui *clinici* dicebantur cubantes aegrotos adibant; ceteri in tabernis quibusdam, sic ornatis et instructis ut ad medicinam exercendam idoneae essent, vel consulentes audiebant vel aegrotos curabant. Eae tabernae *medicinae* dicebantur. Sero apud Romanos *archiatri* exstiterunt, qui mercedem de publico ideo acciperent, ut cives omnes, vel pauperrimos, diligenter curarent. Haec consuetudo, e Graecis provinciis translata, aetate nostra ita est vulgata, ut nihil aliud populorum cultum atque humanitatem manifestius indicet.

Cicero a peregrinis medicis curatur.

Frequentes igitur Ciceronis domum peregrini medici venerunt, quibus omnibus maiorem inanitatem inesse patuit quam doctrinam. Parvum illi Ciceronem stantem auscultaverunt, iacentem perspexerunt, ventre semel atque iterum compresso. Notaverunt etiam quomodo venae moverentur, qui calor cutis esset; ex ipsa exserta lingua signa habuerunt. Ut brevi praecidam, ea omnia fecerunt quae nostra quoque aetate medici adsolent. Decreverunt denique non ante febrim esse discessuram, quam Cicero febri caruisset, neque fore ut ille convalesceret, nisi prius morbo evasisset. Oraculo edito magnaque mercede accepta exierunt. Cum domo egressuri essent, unus ex illis, omnibus consentientibus, adiecit: « Si forte, quod di avertant, ille decesserit, certum id indicium erit hunc morbum mortiferum fuisse ».

Ciceronis ancillae maledico sermone de Graecis medicis iudicium faciunt.

Graeci medici tandem discesserunt; quos vetus quaedam ancilla, cui Phrygia nomen erat, vultu non benevolo ac velut irridens abeuntes est prosecuta. Creverat illa Arpini



« stantem auscultaverunt ».

Ciceronis in aedibus, ac domini familiae amantissima erat; sed natura morosior, quod vitium aetas provecta auxerat, ac lingua tam garrula, ut omnium aures anili loquacitate obtunderet. Tum vero conservam quandam adlocuta:

« Et opera et oleum », inquit, « domino nostro peribit, si in filiŏlo suo curando suadentibus medicis aures praebebit ».

Cui illa:

« Et pecuniam magnam, opinor, est effusurus. Novi enim Graeculos istos: medicinam profitentur, lucrum ligurriunt. Nummos illi concupiscunt, nec quicquam aliud: ut mel muscae, ut pueri nuces ».

Tum Phrygia: « Recte, hercle, id dicis. Num antequam medici isti ex Graecia venerunt plures homines Romae moriebantur? Num mala valetudine Romani perpetuo laborabant? At Cato ille sapiens, quem memorant Graecos medicos odisse, integris viribus, ut saepe dominum nostrum commemoran-

tem audivi, ad extremam senectutem pervenit. Quin etiam, si quis forte ex familiaribus suis in morbum inciderat, ipse medendi rationem inveniebat, ipse parabat emplastra, vel purgatoria medicamenta aegrotis sorbenda porrigebat ».

Veteres morborum curationes.

Cum altera cachinnans adnuisset, Phrygia, conservae adsensu elata, tamquam magister ex cathedra adiecit haec:

« Herbis enim ea aetate morbi omnes curabantur, vel quorundam animalium adipe, vel etiam pane, melle, oleo, aceto. An putas me, hac aetate anum, quomodo morbi curentur prorsus ignorare? Memini me, cum huius familiae pueri interdum lippitudine laborarent, illorum oculos violis atque croco curare, in aqua ex imbre collecta cum myrrhae granulo incoctis. Triduum non intererat: morbus totus aberat. Quid opus est medicis? Num purulenta vulnera aptius curantur quam si asphodeli folia imponas? Dentes putrescere coeperunt: cotidie mane salem sub lingua contine, donec liquescat; non iam putrefient. Dentium dolore laboras? Cucurbitae carnes, absinthii suco ac salis micis immixtis, hunc dolorem penitus tollent. Maius dicam: dentes dolore immunes fient si quis illos quotannis testudinis sanguine colluere consueverit. Huius familiae servulus morbo regio quondam laborabat; sinapi in cucumeris suco infusum illum exsorbere iussi: medicamentum paraveram, manibus ipsa meis poculum praebui. Quid plura? Tam cito ille ad sanitatem revertit, ut ne haedi quidem adeo sint alacres ».

Cicero convalescit.

Per aliquot continuos dies Cicero graviter aegrotavit; nec interdiu nec noctu febris remittebatur. Solliciti parentes illum absurda verba edentem audiebant: « Lamia adest », delirans clamitabat, « apage illam, mater! Canem domesticum, pater, copula vincito: ingentes illius ex humeris alae proveniunt. En advolat, me miserum: omnes peristylii passerculos in ipso aere voravit ».

Febri tandem carere coepit. At inquirenti matri morbi causa iam apertissime patuerat; nam cum Cicero ventri ac gutturi nimis servire consuevisset, ac saepe, clam parentibus et ipsis servis, cibis ad concoquendum difficilibus se ingurgitaret, iamdudum cruditate laborare coeperat. Ieiunia illum ad sanitatem redegerunt, non medici.

De M. Ciceronis domo in colle Palatino.

Saepius Cicero Marcum, patrem suum, cum Terentia uxore colloquentem audiverat, cum diceret: « Romae equidem nullas privatas aedes his nostris pulchriores esse arbitror. M. Crassi haec domus ante fuit, viri et eloquentia insignis et exquisitissimo in omnibus rebus iudicio; cui tam bene habitanti quis tum non invidit? Neque immerito; nihil enim hic desideratur. In Palatino colle haec domus aedificata est, ubi omnes fere Romanorum principes, rei publicae regendae periti, domicilium habent. Hinc forum adiacet, ex altera parte Circus. Medium Romae locum habitamus, nec quicquam, si Capitolium exceperis, in hac urbe nobilius habetur. Permagno, fateor, has aedes emi; tanti mihi constiterunt, ut nulla suburbana villa, sit licet ampla et sumptuosa, carior sit. Me tamen has aedes emisse nunquam paenitebit ».


Parietes, camerae, pavimenta.

In M. Ciceronis domo omnia nitebant. Parietum alii picti erant, alii marmoreis crustis distincti; camerae vero *laquearibus* (quae etiam *lacunaria* dicebantur) exornatae erant auro obtectis, saepe etiam ebore variatis. Singula laquearia tamquam figuram quadratam marginibus efficiebant, cuius pars media *locus* dicebatur. Hunc locum vel parvis picturis vel ornamentis ex gypso artifices compleverant. Nec minor erat pavimentorum splendor, quae ita tessellis ad variarum rerum effigiem structa erant, ut hic flores exhiberent, illic aves vel pisces vel arbores cum ipsis fructibus vel humanas facies. Tessellae plerumque ex secto

marmore factae erant, interdum ex vitro vel ex onyce vel etiam ex auro. Haec omnia parvulus ille Cicero laetus mirabatur, iam inde a puero luxuriae et elegantiae cupidus.

« Nosce te ipsum ».

Unam tantum figuram in triclinii pavimento aequo animo spectare non poterat oculosque ab illa pavescens avertebat; nam tessellarii corpus ibi nudis ossibus cohaerens effinxerant rogo impositum, nigris quibusdam uncisque lineis pyrae flammas simulantibus, nigrum ipsum ac membra horrendum in modum distorquens. Subter id Graecis



« corpus rogo impositum »

litteris inscriptum erat: « Nosce te ipsum ». Sapientis enim esse Romani putabant in ipsa conviviorum laetitia moriendi necessitatem non oblivisci. At Ciceronis filius ubi primum Graecum sermonem discere coepit et Graecum illum titulum Latine vertere potuit: « Cibi fastidium », inquit, « iniciunt ista; memetipsum equidem ignorare malo, quam languenti stomacho conviviis adesse ».


De Romanorum lectis.

In domestica M. Ciceronis supellectile nihil pretiosius erat quam lecti et mensae. Lectorum apud Romanos multa genera erant. *Lectus cubicularis* is dicebatur qui in cubiculis

esset, dormientibus vel cubantibus aptus; qui in tricliniis *tricliniaris*; alii alio nomine indicabantur. Si quis litterarum studiis deditus erat, *lecto lucubratorio* utebatur, ubi per multas horas quiescendo meditari posset vel legere vel aliquid in tabellis adnotare. Id omnibus lectis commune erat quod pedes *spondam*, fasciae vel lora (*institae* dictae) *culcitas* sustinebant.

De lectorum partibus.

Sponda ligneum quoddam firmamentum erat, quattuor vel sex pedibus fultum, obtentis institis toros et culcitas sustinens. Bina adminicula singulis spondis adnitebantur,



Lectus cubicularis.


quorum alterum, super iacentis caput eminens, *fulcrum* dicebatur, alterum, parietem obtegens, *pluteus*. In divitum aedibus lectorum plutei et fulcra, ex pretiosis lignis confecta, aureis et eburneis laminis ornabantur. Toris et culcitis *stragula vestis* insternebatur. Instrato lecto lintea vestis circumducebatur, cui nomen *toral* erat. Pauperum lecti, *grabati* dicti, fulcro et pluteo carebant.

Pulvinis quoque Romani utebantur, nec solum in lectis, sed etiam in sedilibus, nec solum ad caput fulciendum, sed

etiam ut tricliniaria loca distinguerent. Pulvini quadratis stragulis fiebant, tomento repletis. Pulvinus dormientis caput sustinens *cervical* dicebatur.

De Romanorum mensis.

Varius apud Romanos mensarum usus erat; mensis enim et argentarii et institores utebantur, privati etiam homines in aedibus suis: hi ad domesticos usus, argentarii vero ut nummos in parvos acervos congestos haberent, si quis nummos nummis commutare vellet (idem fere apud antiquos erat *mensa*, quod apud nos « banca »), institores ut quae venalia haberent praetereuntibus proponerent. Ditiores vero homines complures magni pretii mensas possidebant, ut apte et magnifice cenae in triclinio instrui possent; quarum alias, ad divitiarum ostentationem adhibitas, *argento escario* et *potorio* onerabant (*abaci* hae mensae dicebantur), alias iuxta convivas poni iubebant, ut *repositorium* et vini lagoenas sustinerent.



Mensa.

De varia mensarum forma.

Forma quoque mensarum varia erat, cum aliae quattuor pedibus, aliae tribus, aliae, pede uno niterentur. Haec Romani *monopodia* vocabant, ac tunc primum in Italiam invexerunt, cum Asia devicta est. Ingenti pretio emebantur; singulari enim artificio perfecta erant, cum pes affabre excultum orbem sustineret, vel ebore confectum vel ex pretiosissimo ligno excisum. Huius mensae pedem *trapezophŏrum* vocabant. Mensa tripes ex vilissimo

ligno plerumque conficiebatur, eiusque locus in pauperum supellectile erat. At mensae trinis pedibus praeditae, Delphicae cortinae formam referentes, atque ob id Delphicae dictae, inter sumptuosas habebantur.

Cicero in Campum Martium ducitur.

Sextum annum Cicero agebat, cum casus quidam incidit, cuius recordatio ex illius memoria numquam excessit. Duxerat illum paedagogus in Campum Martium hora fere quinta. Cum mense Iunio exeunte aestatis calor Romae iam ingravesceret, magna et varia multitudo eo convenerat, ut nimiam Fori frequentiam fugeret. Alii otiose ambulabant; alii equitando vel luctando corpora exercebant; alii cum amicis colloquendo tempus terebant vel, ut fieri solet, de praetereuntibus iudicium et censuram faciebant. Constat enim nullam civitatem Romana maledicentiorem fuisse.

Cicero animadvertit multorum ora in se esse conversa. « Heus tu! », aiebant invicem, « vidistine parvum illum puerum? Ciceronis illius filius est qui ante hos paucos annos consul fuit ».

Anno enim sexagesimo tertio a. Chr. n. M. Cicero ad consulatum pervenerat atque, Catilinae coniuratione oppressa, magnam se gloriam adeptum esse arbitrabatur. Sed quamquam vir inanissimus optime se de re publica meruisse perpetuo praedicabat, neque ulla alia de re libentius loquebatur, de illius consulatu non idem iudicium omnes faciebant. Laudi alteri illi dabant quod gravissimum periculum rei publicae Romanae impendens impigre et strenue removisset; illum contra alteri criminabantur quod Catilinae socios indemnatos interfici iussisset.

Quid de Cicerone patre audierit.

Dum igitur Cicero cum paedagogo ambulat in Campo Martio ac puerili modo de unoquoque occurrentiun civium ex illo sciscitatur, ille vero, quasi aliud agens, lente ac neglegenter ad interrogata respondet, in suspectos quosdam ac

male animatos homines inciderunt, qui obliquis oculis adulescentulos ex equestri ordine certaminibus gymnicis corpora exercentes spectarent.

«Sic Romae fit», aiebant; «divites ludendo tempus terunt, pauperes fame pereunt».

Succincta tunica, incompti capilli, sordidi crassioresque calcei plebeios homines declarabant. Quorum unus, cuius in oculis sinistrum quoddam lumen elucebat, parvo Cicerone appropinquante, murmurare coepit:

« Pusionis istius pater, qui se patrem patriae vocari gloriatur, quantum mali ipsius capiti impendeat, prorsus non videt ».

Atque elatiore voce:

« Refer haec, puerule, patri tuo: illum non ‘ patrem patriae ’ plebs Romana vocat, sed ‘ sicarium ’, qui nulla iudicum sententia liberos cives ad supplicium duci iusserit ».

Expalluit paedagogus, arreptaque manu puerum secum trahebat, metu captum ac semel atque iterum rogantem: « Quid homini illi nobiscum est? Quid sibi vult? Hunc virum numquam apud patrem meum vidi; nos tamen ille probe videtur nosse ».

Celeriter discedentes homo sequebatur: « Tristior pater tuus vivet, male peribit. Sabinam enim anum interrogavi, divina mente praeditam, ut cognoscerem quomodo ille esset obiturus ».

Substitit paulum Cicero, subitaque sollicitudine correptus, frustra paedagogo obsistente, audacter rogavit:

« Quidnam illa tibi respondit? dic, age ».

Tum ille, acerbo cum risu puerum intuens:

« Quid? Qui laqueo civium gulas fregit, ipse iugulatus peribit. Fiet id aliquando: memento. Haec Catilinae ultio erit ».

Tandem, ducente paedagogo, puer ex illa multitudine evasit.

Lex in M. Ciceronem lata.

Magis in dies palam fiebat, quanto odio M. Cicero plebi Romanae esset, cum praesertim P. Clodius, quem M. Ci-

cero inimicissimum habebat, C. Iulio Caesare favente, popularem invidiam in illum, quocumque modo poterat, concitaret. Ad id res est adducta, ut, si quando parvus Cicero cum paedagogo vel remotioribus urbis locis ambulatum exisset, infimae plebeculae pueri, ubi primum illum agnovissent, statim clamare inciperent: « M. Ciceronis filius adest;



« maledictis puerum obruebant, lapidibus incessebant ».

depellamus illum. Cur patimur eum inter nos versari? Quin manus in illum inicimus? ». Iidem maledictis puerum obruebant, lapidibus incessebant, vel contumeliose intuentes consputabant.

P. Clodius tandem, qui, quamquam nobili loco natus, ad plebem transierat et tribunus plebis creatus est, legem tulit ut, si quis indemnatos cives necavisset, ei aqua et igni interdiceretur. M. Cicero sensit se hac lege peti, atque ex Italia discedere sponte properavit.

M. Cicero in exsilium proficiscitur.

Iamdudum Cicero notaverat patrem tristem et taciturnum factum rarius foras exire, rarius amicos et familiares apud se accipere; magnam diei partem illum, ut qui anxia cura premeretur, obducta fronte cogitabundum per aedium conclavia ambulare: tablinum exhedra mutare, exhedram oeco; celerius interdum ire, interdum defixis oculis consistere. Matrem etiam plerumque silere vel, lacrimis obortis, cum fidelissimis ancillis colloqui. Cum vero Tullia soror ex coniugali domo parentes visura venisset, numquam cum matre sine suspiriis esse locutam, aut sine lacrimis discessisse.

At quadam die, quamquam in aedium parte ab atrio remota sub paedagogi custodia versabatur, flebilem quandam feminarum vociferationem audivit atque cum eiulatibus ancillarum ipsius matris lugentis querimonias. Custodem adlocutus: « Quid fit? », Cicero ait, « tristius aliquid accidit, opinor ».

Obmutuerat ille; ne unum quidem verbum tota die protulit.

Cum advesperavisset, neque adhuc pater, ut consueverat, puerum ad se adduci iussisset, vetus quaedam ancilla, quae absente matre matris vices sustinebat, casu Ciceroni obvia venit. Cui roganti quid novi afferret, paulisper prius cunctata, tandem respondit:

« Romam pater tuus reliquit; iniquae legi obnoxius in exsilium est profectus ».

Quo nuntio accepto, Cicero vix se tenere potuit quin magnam vim lacrimarum profunderet.

Pater abest.

Postquam M. Cicero in Graeciam est profectus, illius domus Romae maeroris et aegritudinis plena erat. Diem tristem tristior dies subsequebatur. Unum solacium erat quod crebrae epistulae a viro missae saepissime Terentiae

adferebantur, quas illa cum legeret lacrimis prope delebat. Nam M. Cicero, qua inconstantia fuit, tantum in rebus secundis superbum et gloriosum se praebuit, quantum in adflictis querulum et demissum. Scribebat enim: « Conficior maerore, mea Terentia, nec meae me miseriae magis excruciant quam tuae vestraeque ». Vel etiam: « Cum aut scribo ad vos aut vestras lego, conficior lacrimis sic, ut ferre non possim ». Quae verba magis infirmam mulierculam decere opinamur quam virum Romanum, eumque consularem.

De re vehiculari apud Romanos.

Quoniam mentio incidit de crebris litteris a Terentia acceptis, cum illa Romae moraretur, vir eius in Graecia exsul esset, suspicor nonnullis puerorum hanc historiŏlam legentium audiendi studium iniectum esse quomodo antiquis temporibus litterarum commercium vel publice vel privatim se haberet. Publicum officium, quod nos « la posta » vocamus, Romani vario nomine indicabant, cum illud *cursum publicum*, *cursum vehicularem*, *cursum fiscalem*, *rem raedariam* vel *vehicularem* dicerent, ne nomina omnia persequar, quae varia et multa sunt.

Cursum publicum primum a Dareio, Persarum rege, excogitatum illi qui post Alexandri Magni mortem in illius imperium successerant in ipsorum regnis instituerunt. Sed in re vehiculari ordinanda Romani longius quam ceteri populi provecti sunt.

Illud tamen animadvertendum est, quod apud antiquos cursus publicus uni tantum rei publicae administrandae necessitati subveniebat. Ut privatae litterae ad eos quibus inscriptae erant adferrentur privati ipsi suis opibus et impensis curabant.

Cursus publicus celerior et constantior ab Augusti temporibus factus est, postquam Augustus iussit modicis intervallis per militares vias vehicula disponi, quo facilius cognosci posset quid in provincia quaque gereretur.

Cursus publicus ab Augusto ad Constantinum.

Ab Augusti usque ad Constantini aetatem, Romani imperatores in cursu publico aptius constituendo multum profecerunt. Rei vehiculari Romae *praefectus praetorii*, in provinciis *praesides*, praeerant, quorum singuli administro quodam utebantur, qui *praefectus vehiculorum* vocabatur. Singulae autem provinciae ita in partes discriptae erant, ut, quibus locis equi stationarii mutandi essent, omnia reperirentur quae cursus publici necessitas posceret. Huic officio *manceps* quidam erat praepositus.

De epistularum commercio inter privatos.

Ciceronis temporibus, si quis in re publica eminebat, frequentes ei epistulae mittendae erant: ad familiares, ad amicos, ad potentiores civitatis viros. Magnam igitur *tabellariorum* multitudinem inter servos alebat, qui litterarum fasciculos ad inscripta nomina perferrent. Tabellariorum celerrimi *cursores* dicebantur; longiora itinera hi capessebant. Litterae quae locis disiunctissimis maximeque diversis reddendae essent, iis plerumque tradebantur qui illuc iter facerent. Cum vero litterarum commercium ingentem sumptum privatis adferret, qui in amicitia erant consuerant inter se ita subvenire, ut alter alterius cursoribus invicem uteretur. At si propter commorationem tabellariorum et cursorum nemo erat cui litterarum fasciculus traderetur, litterae aliquot dies in manibus illius qui scripserat inertes manebant.

M. Cicero ab exsilio revocatur.

M. Ciceronis exsilium non diuturnum fuit. Anno enim postquam ille Romam relinquere coactus est, Senatus decrevit ut in patriam revocaretur, summo studio de eius reditu C. Calpurnio Pisone adnitente, cui, ut supra diximus, Tullia nupserat. Maerorem Terentia deposuit totaque familia ex magna aegritudine recreari coepit. Parvulus tum Cicero annum octavum agebat atque, cum ea sit puerorum

natura, ut ad laetitiam procliviores sint quam ad aegritudinem, magnopere gaudebat familiae faciem esse mutatam. Iam Terentia coeperat domum ut ante diligenter servare, aequo animo ancillis imperare, omnia intus sic disponere, ut si redeuntem maritum brevi esset acceptura.

Nuntius tristis de Pisone adfertur.

Sed hominum fortunae in dies mutantur. Quadam die una ex ancillis Tulliae Ciceronis domum primo mane adiit atque concitatis verbis ab ostiario petiit ut in conspectum Terentiae statim admitteretur. Venia impetrata Terentiae cubiculum introiit eique tabellas raptim a Tullia exaratas trementi manu porrexit. Quibus lectis Terentia primum expalluit ac mutescens inscriptas litteras semel atque iterum relegit, quasi oculis suis vix confisa; deinde: «O me miseram!» clamare coepit, «o me perditam et adflictam!». Scripserat enim Tullia: «Piso meus, repentino morbo correptus, aegrotat graviter». Terentia, ubi primum improvisus ille dolor paulum requievit, domesticas ancillas adlocuta: «Ferte cito vestem meam», inquit (nondum enim a lecto surrexerat); «ferte tunicam, strenue, stolam, ricinium etiam. Agite, heus! Ocius! Quid cessatis, ignavissimae? Statim foras exeam oportet ut Tulliŏlam, filiam meam, quam primum conveniam».

Piso moritur.

Dicto citius ancillae dominae paruerunt; iamque Terentia, stola illa induta qua Romanae matronae vestiri solebant, si foras essent exiturae, aedium in atrio, aegre moram illam ferens, pedissĕquas exspectabat, cum ipsam Tulliae nutricem conspexit e vestibulo aedes intrantem atque in limine haesitantem. Haec anus Tulliam a nuptiarum die in Pisonis domum secuta erat, eamque Tullia tamquam alteram matrem diligebat; aetatis provectae mulier, sed obvia atque affabili natura, facie plerumque hilari, argutis oculis; tum vero adeo tristis et conturbata, adeo squalida, ut ipsi capilli

incompti, ipsa sordida ac discincta vestis, magna illam celeritate ac festinatione aedes dominae suae reliquisse indicarent.

Roganti Terentiae: « Quid mihi nuntias? Loquere », respondit: « Gaius decessit ». Nec verbum ullum adiecit.

Pisonis funus indicitur.

Saepe mater parvum Ciceronem monuerat, si forte ille in atrio versaretur, ne ultra limina in vestibulum procederet: multa in publico fieri quae ingenuum puerum nosse non oporteret. Sed mos est puerorum parentum praeceptis interdum non obtemperare; neque vero Cicero tam docili animo fuit, ut a ceterorum puerorum consuetudine unus discederet. Accidit igitur ut, postridie eius diei quo Piso decesserat, Cicero, cum forte paedagogus abesset, peteret ab ostiario ut vel minimam horam praetereuntes in via sibi liceret adspicere. Abnuit primum ostiarius; at tandem flagitanti puero morem gessit.

Qui quidem, postquam in media via fuit, praeconem lugubri veste indutum conspexit magna voce clamantem: « C. Calpurnius Piso, Quiris, leto datus est ». Haec verba, a remotissima antiquitate tradita, idem significant atque: « Piso, Romanus civis (*Quiris*) decessit (*leto datus est*) ».

Parvi Ciceronis dolor.


Quantum doloris Cicero ceperit, cum, repentino illo nuntio casu quodam accepto, sororis virum mortuum esse cognovit, difficile est dictu. Nam Piso, vir singularis humanitatis ac suavissimis moribus praeditus, parvum Ciceronem tam carum habuit, ut maioris fratris loco illi potius esset quam adfinis; nec quicquam unquam praetermisit quin adulescentulum sibi conciliaret. Singultiens igitur Cicero domum celeriter repetivit, in cubiculum suum confugit nec cibum toto die ullum cepit. Mater aberat maximaque ancillarum pars illam ad Tulliam comitatae erant. Quae domi manserant, de repentino Pisonis obitu maerentes colloquebantur. Puer solito neglegentius adservabatur.

Pisonis funus paratur.

Dum Cicero solus ac tristis vel lectulum suum premit, vel aedium conclavia tamquam obstupefactus pererrat, Terentia Tulliae aderat, exstinctum virum perpetua lamentatione deflenti. Extremum morientis spiritum uxor exceperat, oculos operuerat, anulum, ut mos erat, detraxerat. Deinde, postquam, id quod vetus Romanorum ritus poscebat, ter virum conclamavit, in remotissimum oecum recesserat ut *libitinarii* funus pararent.

De libitinariis.

Libitinarii ii dicebantur quibus mortuorum exsequiae commissae erant, magnamque circa se ministrorum multi-



« corpus in aedium atrio iacuit ».

tudinem habebant qui singula curarent. Instrumentum funeris suppeditabant, ut *sandapilam, lectum funebrem, feretrum*; *cornicines, tibicines, praeficas* iidem conducebant. Qui libitinariam exercebant, maximos quaestus ex ea arte facie-

bant; quae tamen, cum indecora ac turpis videretur, non minorem ignominiam adferebat quam lucrum. Libitinarii ob id vocabantur, quod *Libitīna Venus* vetus Mortis appellatio fuit.

Mortui Pisonis expositio.

Dies septem mortui Pisonis corpus in aedium atrio iacuit. Illud *pollinctores*, humi prius depositum ac frigida aqua ablutum, deinde accurate lautum atque perunctum, postremo praetexta toga indutum in funebri lecto composuerant ibique odores adsidue incendebant. Virentis piceae rami per illos dies foribus adiacebant; flentes ancillae illos iuxta Pisonis mortem adposuerant, quod funebre indicium esset. Iacentis Pisonis vultum unus e pollinctoribus in cera impressit, quae ad sempiternam illius memoriam in atrii armariŏlo adservaretur.



« funebris pompa magno sumptu ducta est ».

Piso effertur.

Octavo die postquam decessit, Piso a *vespillonibus* ex aedium atrio est elatus, ut ad ustrinam extra pomerium deferretur atque in rogo ibi exstructo cremaretur. Vetabant enim leges corpus mortuum intra urbis moenia comburi. Funebris pompa magno sumptu et magnificentia ducta est. *Dissignatores*, utrimque dispositi, curabant ne quid funebrem pompam turbaret, ut omnia recte ac rite procederent. Praecedebant cornicines et fidicines, qui quidem, quacumque funus transibat, acuta cum gravibus temperantes, mixto ingentique sono praetereuntium aures complebant. Subsequebantur qui ferales faces agitabant, cum iisque conductae aliquot feminae (*praefĭcae* dicebantur), quae, mercede accepta ut lugubres eiulationes ederent, clamore magno fictum ostentabant dolorem.

Quarum una interdum, ceteris tacentibus, maesta quadam *naenia* exstincti viri, qui efferebatur, laudes canebat.

Pisonis feretrum.

Post ululantium praeficarum turbam ii lento gressu procedebant, qui cereis imaginibus ad ora aptatis maiores, ut supra diximus, simulabant. Virilis sexus consanguinei feretrum deferebant: iacebat Piso in lecto eburneis pedibus ornato, purpureis vestibus instrato, ac sic positus, ut omnes illius faciem videre possent. Post feretrum propinqui omnes utriusque sexus veniebant cum ipsa Pisonis uxore. Servi complures, quos Piso testamento manumiserat, feretrum pilleati sequebantur. Ea erat enim Romanorum consuetudo, ut liberti pilleo caput tegerent. Cum ceteris, ad exsequias cohonestandas, magna multitudo convenerat familiarium, nobilium virorum, clientium.

Tulliae dolor.

Muti procedebant omnes. Passis capillis vestituque squalido Tullia multis cum lacrimis feretrum prosequebatur, medium locum inter propinquos tenens; saepiusque misera pectus plangebat vel genas lacerabat unguibus. Constat Romanorum legem antiquissimam sanxisse ne mulieres in funeribus nimium dolorem ostenderent, sed quod lege vetitum erat consuetudine concedebatur. Deos etiam interdum vocabat ut exstinctum virum sibi redderent. Parvus Cicero comitabatur, illius vestibus adhaerens, magno et ipse dolore permotus, quamquam nondum e pueris excesserat, quae aetas omnia leniora facere solet.

Pisonis laudatio funebris.

Postquam in Forum ventum est, tum tibiae acutius canere, cornua graviorem bombum edere, praefĭcae miserabilius eiulare. Undique tunicatus popellus adcurrebat, funus spectaturus. Cum autem funebris pompa ad Rostra pervenisset, improviso silentio facto, unus ex Pisonis propinquis

laudationem funebrem de more pronuntiavit. Proavorum gloria et rebus gestis commemoratis, Pisonis honores recensuit, virtutes laudavit, de summa illius in absentem socerum fide praedicavit. Maiorum imagines proavorum simulacra reddentes, circum feretrum dispositae, quasi laudantis verba audirent, sollemni ritui religionem addebant.

Pisonis corpus crematur.

Feretrum qui gestabant post habitam laudationem rursus humeris impositum ad ustrinam detulerunt. Funesta ibi facie rogus ex usto nigrantique ustrinae solo eminebat; lignis in arae formam congestis exstructus erat, pice, siccis foliis, murra inter ligna immixtis, quo facilius materies ignem conciperet. Virentes cupressorum rami lateribus intexti rogum obtegebant.

Pollinctores Pisonis corpus cum ipso lecto rogo imposuerunt; deinde familiares ture, unguentis, odoribus adspersum florum corollis ornaverunt. Tum, postquam infelix illa uxor, Tullia, « vale » dicto supremum osculum mortui viri in fronte impressit, admotis facibus rogus est incensus.

Ubi primum corpus cum materie totum exarsit, Tullia, ablutis manibus, ossa legit, vino respersit, in olla quadam condidit. Postridie Pisonis cineres, unguentis immixti atque in urna cum exustis ossibus compositi, in maiorum sepulcro humati sunt.

De M. Ciceronis reditu.

Maeror parvi Ciceronis de Pisonis obitu non diuturnus fuit; cito enim puerorum dolores mitescunt. Magnum insuper gaudium paulo post adtulit illi Marci patris reditus. Redeuntem populus Romanus magna cum laetitia acceperat; neque tamen illum fallebat quantum res Romanae essent mutatae: Senatus auctoritatem imminutam, incertum vulgus, nobilium plerosque dubios et cunctantes; Caesarem, vel absentem, plurimum posse. Sed M. Cicero, quamquam rei publicae statum bene noverat, summopere nite-

batur ut, quantum posset, amissam gratiam apud cives recuperaret.

Nec quicquam ille, postquam ab exsilio rediit, antiquius habuit, quam ut ipsius domus in monte Palatino rursus aedificaretur. Priorem domum enim furor plebis a P. Clodio concitatae funditus everterat.

M. Cicero aedificat.

Iam novae aedes surgebant, magnaque operarum multitudo officium suum exsequebantur. M. Cicero ipse, si quid otii erat, multam diei partem ibi terebat: colloquebatur cum redemptoribus, fabros, si quid rectius agendum erat, admonebat, adlatam materiem recognoscebat. Patri filius aderat rei novitate inductus atque omnia inspiciendi studiosus. Saepe etiam, absente patre, cum paedagcgo in exstruendae domus area versabatur. Sed quadam die, repentino tumultu exorto, atrocius quiddam factum est.

Vagabatur enim Cicero otiosus in area, gravique vultu, ut pueri solent, tamquam si ipse aedificandi artis peritissimus esset, aliquot quadratos lapides ex ordine positos recensebat, cum de improviso magnus clamor exauditur.

Plebs Romana tumultuatur.

Armati homines aream invadunt, fabros inde expellunt, incohata opera disturbant, proximam Q. Ciceronis domum, M. fratris, lapidum coniectu frangunt, accensis facibus flammis dare conantur. Interea seditiosi viri vicatim ambientes plebem sollicitant. Maior in aream concursus fit. Omnia turbae ac terroris plena erant. Fugiens Cicero paedagogum una fugientem rogavit:

« Cur hi homines in aream nostram tanto furore insaeviunt ? ».

Cui ille: « Noli id quaerere; ebrii sunt ».

« Si ebrii sunt, cur patrem meum unum vituperant ? Cur unum illum oderunt ? Clamantes complures audivi: ' Pereat M. Cicero ! ' ».

Tum paedagogus: « Clodius ille, qui tantopere nisus est ut pater tuus in exsilium pelleretur, cum se victum putet, sic fortasse acceptam ignominiam ulcisci conatur ».

Cicero apud patrem in Tusculano commoratur.

Iam Cicero, undecimum annum agens, prima studia in ludo perfecerat, cum pater illum Graeco cuidam servo tradidit, eximia doctrina praedito, cui Dionysio nomen erat, severiore disciplina excolendum. Consueverat tum M. Cicero magnam anni partem in Tusculano commorari, quae loca summopere diligebat, diuque procul abesse ab urbe, postquam Romae, Caesare et Pompeio principatum obtinentibus, pristinam auctoritatem amiserat.

Venit igitur Cicero plus librorum secum adferens quam discendi cupiditatem, atque, cum magis illius animus ad vitae lautitias quam ad studia inclinaret, libentissime se in Tusculano esse fatebatur; quicquid enim adspexerat, luxus atque opulentiae indicium erat.

De Tusculano.

Iocans saepe M. Cicero filio suo secum colloquenti: « Haec villa », aiebat, « aequalis tua est ». Coeperat enim Tusculanum eo ipso anno instruere quo Cicero filius natus est. Circumiacentes hortos signis in Graecia emptis ornaverat, interiores aedes pretiosa supellectile instruxerat, bibliothecam accurate ordinaverat, libris compluribus in bibliothecae armaria digestis. In libris comparandis consilio est usus T. Pomponii Attici, qui eo tempore in arte libraria excellebat.

De Romanorum villa urbana.

Duo apud Romanos villarum genera erant: altera *villa urbana* dicebatur (vel *villa pseudourbana*, vel *meritorium*), altera *villa rustica*. Villae urbanae ad dominorum voluptatem aedificatae erant, villae rusticae ad ea omnia suppeditanda quae agrorum cultus poscebat. Villae urbanae plerumque a peristylio adibantur, non, ut aedes urbanae, per

vestibulum et fauces, ab atrio, largiusque aere fruebantur et sole. Cum vero rus, patentibus agris, laxum spatium ad aedificandum praeberet, plura in illis triclinia aedificari mos erat, ampla item cubicula, vel separata illa domus membra quae *diaetae* vocabantur. Singulae diaetae plura conclavia aut cubicula capiebant. Neque externae fenestrae deerant, sed et in triclinio discumbentibus et in cubiculo iacentibus agros, vineas, colles latissimis fenestris licebat prospectare. Nam praeter cubicula ad dormiendum idonea alia parva conclavia in cubiculorum modum aedificata erant, in quibus, si quis vellet, tranquillo in otio interdiu morari poterat legendo vel meditando vel quiescendo.

De villa rustica: cortes et piscinae.

Binae *cortes* in villis rusticis erant exstructae, quibus in mediis singulae piscinae haud mediocri amplitudine sitae erant vel solo impressae vel caeso lapide cavatae. Harum piscinarum interior ad id adhibebatur, ut boves ex agris reducti, oves ex pabulo redeuntes ceteraque animalia et bibere possent et aqua perfundi; aves etiam aquaticae ibi innabant. In exteriore piscina et coria et lupini macerabantur, et quicquid diu aqua molliri oportebat.


De villae rusticae parte interiore.

Circum interiorem cohortem plurima conclavia aedificata erant. Ibi et *vilicus* habitabat, qui familiae rusticae praeerat; ibi et cellae serviles erant, et rustica balnea; *valetudinarium*, etiam in quo aegroti servi curabantur, et *ergastulum*, ita aedificatum, ut deterioribus servis poenae locus esset.

Bubilia et *equilia* prope culinam sita erant, ne modico calore unquam carerent; amplior enim culina in villa rustica erat quam in urbe, neque aptior alius locus in villa videbatur quo, maxime tempore hiberno, servi congregari possent et iuxta focum quae domi facienda essent sedentes perficere.

De reliquis villae rusticae aedificiis.

Granaria, quo post messem rustici servi frumenta congerebant, et *cella vinaria*, in qua vinum fermentari sinebatur vel in amphoris diffusum servabatur ut inveterasceret, separatim opportuno loco aedificata erant. Ad septemtriones spectabant, nam calor et nimius humor frumento nocere solet et vino. Fructus vero, ex arboribus suo tempore decerptos, in horreo quodam servabant, Graeco nomine *oporotheca* dicto. Foe-



« in urceolis vel amphoris ».

num in *foenili* condebatur, quod aedificium quam maxime a ceteris separatum erat propter incendii periculum. Oleum ex oleis *torculari* expressum, atque in urceolis vel amphoris conditum in *cella olearia* servabant. Villae rusticae et *area* et horrea alia adiacebant, et *nubilarium*, quo agricolae, si improvisa tempestas coorta esset, demessas spicas congererent.

M. Cicero in Ciliciam proficiscitur.

Nulla unquam inter potentes firma amicitia fuit. Caesar et Pompeius, postquam inita societate Senatusque auctoritate imminuta Romanarum rerum potiti sunt, dissentire ac de principatu inter se contendere coeperunt. Quae dissensio in gravissimas dubitationes M. Ciceronem adduxit, cum aemulorum neutri displicere vellet, neutri vero ita fidem suam adstringere, ut nulla via ad alterum confugiendi, si forte necesse esset, relinqueretur. Cum suspensus ille atque

incertus haereret, peropportune accidit ut in Ciliciam proconsulari potestate mitteretur. Profectus est igitur anno septingentesimo tertio ab U. c. (= 51 a. Chr. n.), mense Maio; atque, cum Benevento ac Venusia Brundisium venisset, navem ibi conscendit paulumque Actii commoratus primis insequentis mensis diebus Athenas pervenit.

Cicero filius patrem iter facientem comitatur.

Comitabantur illum Cicero filius, annum quintum et decimum agens, atque una cum eo Quintus Cicero, fratris Quinti filius, anno maior natu, cuius mater T. Pomponii Attici soror erat, viri, ut supra diximus, M. Ciceroni summa familiaritate coniuncti. Dionysium etiam, servum illum doctissimum, M. Cicero secum adduxerat, ut Ciceronum studiis apud Graecos praeesset.

Valde Athenae Ciceronem filium eiusque patruelem fratrem delectaverunt, urbs et monumentis insignis et humanis litteris florens. Brevis haec Athenis commoratio occasio fuit totam Graecam paeninsulam visendi; nam Marcus pater una cum adulescentulis illis iter per Graeciam facere statuerat.

De Romanorum raedis et carrucis.

Raedis iter fecerunt; nam veteres Romani, cum peregrinationem aliquam suscepissent, terrestri itinere raedis utebantur, maritimo navigiis. Inter multa et varia vehiculorum genera, quae apud illos in usu erant, maxime peregrinantibus aptae raedae videbantur, quod celeriter trahebantur et tam firmiter exstructae erant, ut plures homines una raeda commode veherentur.

Raedarum usus, ut omnium fere vehiculorum, a Gallia in Italiam invectus est. Quattuor rotarum vehiculum raeda erat duabus mulis plerumque tractum; sed agiliores raedae quaternis, vel octonis, perraro denis equis vehebantur. Neque tamen tantum commoditatis raedae iter facientibus


praebebant, ut, si quis plurimos dies in itinere consumpsisset, non ante eo quo statuerat perveniret, quam illius membra, cum insomnia tum diuturna iactatione, lan-



« agiliores raedae equis vehebantur ».

guida ac defatigata essent ossaque, ut ita dicam, paene confracta.

Posterius enim – qui mos, sero tamen, Cicerone iamdiu mortuo, invaluit – ne peregrinandi necessitas longiora itinera




« ad leviores currus equi iungebantur ».

in cruciatus verteret, Romani *dormitoriis carrucis* uti coeperunt, quarum in interiore parte lectulus ita aptatus erat ac vestimentis instratus, ut illis, qui sic iter facerent, et iacendi


facultas daretur et dormiendi. Nullum vehiculorum genus carruca sumptuosius erat; carrucam vero illam, quae dormitoria vocabatur, si quis nostrorum « wagons-lits » proaviam fuisse dixerit, non ille, opinor, errabit.

De ceteris Romanorum vehiculis. (Plaustrum, arcera, petorritum).

Multa et varia vehiculorum genera praeter raedas et carrucas apud Romanos constat fuisse; ad graviores currus boves vel tauri iungebantur, ad leviores equi. Ad onera deferenda aptissimum erat *plaustrum*, duabus plerumque rotis praeditum, rarius quattuor. Hoc vehiculum ad rustica opera idoneum erat; adhibebatur etiam ad graviora pondera vehenda, velut arenam, lapides, asseres, tigna. Ex quo factum est ut, quamquam lex Romana statuerat, ne currus ullus a solis ortu usque ad occasum per urbem iter faceret, si quis tamen intra moenia aedificaret, facultas illi daretur materiem per vias urbis plaustris deferendi.




« hoc vehiculum ad rustica opera idoneum erat ».



« adhibebatur etiam ad graviora pondera vehenda ».

Singulare quoddam plaustri genus *arcera* vocabatur. Undique contecta erat, atque ea ratione facta, ut et currus commoditatem praeberet et lectuli. Aegri atque ii qui admodum senes essent hoc curru vehebantur.

Aptum autem vehiculum ad complures homines vehendos, saepe magnifice exornatum, *petorrĭtum* erat, et ipsum a Gallia importatum. Petorrĭtis nobilissimi viri utebantur in itineribus, victores duces in triumphis.



« essedi similis covinus erat ».

De ceteris Romanorum vehiculis. (Cisium, essĕdum, covinus, carpentum, pilentum).

Birŏtum vehiculum *cisium* erat, quod bini vel terni equi iuncti trahebant, capso contectum, ne imbres vel nimii solis radii insidentes laederent. *Cisiarii*, qui vocabantur, publicorum aurigarum officio Romae fungebantur, si quis Roma in suburbanum agrum vectari vellet.

Cisio simile, sed firmius ac robustiore materie compactum, *essĕdum* erat, quod quidem illorum essedorum speciem referebat quibus Galli, bellum cum gererent, in acie uti consue-





Carpentum.

rant. Privata utilitas essedorum usum mutavit, non speciem. Essedorum, quibus privati utebantur, magnitudo potius quam forma differebat. Maiora essĕda essedarius agebat, minora dominus ipse. Essĕdi similis *covinus* erat.

Carpenti origo vetustissima ferebatur; sed priscum illud ac rude Italicarum gentium vehiculum procedente tempore

in lautum concinnumque currum evasit, aptam vecturam nobilibus matronis praebentem. Eadem fere ac carpenti specie, sed pondere maiore *pilentum* erat, vehiculum quattuor rotarum, quo antiquis temporibus Vestales tantum vectabantur. Mutati mores illius currus usum inter matronas vulgaverunt.

Athenis relictis, M. Cicero Delum adpellit.

Postquam M. Cicero cum adulescentulis illis terrestri itinere confecto Athenas revertit, paulisper ibi commoratus, navem conscendit, ut in Ciliciam perveniret. Mensis Iulius



« navem conscendit, ut in Ciliciam perveniret ».

erat (mensis hic Ciceronis aetate Quintilis vocabatur), quo anni tempore maxima navigiorum pars iamdiu in mari erat a Graecis mercatoribus conducta. Negotium magnum fuit navem vel minimam invenire quae praesto esset; postremum tamen Cicero, nonnullis Rhodiis et Mytilenaeis hominibus operam suam officiose navantibus, parvulum navigium nactus est, quod, cum ponte et extremis pluteis careret, Graeco nomine *aphractum* vocabatur. Conscenderunt igitur,

M. Cicerone aphracti imbecillitatem culpante, quo nullum navigium fluctum minus ferre posset aut tardius navigaret.

A Piraeo profecti ad Delum insulam cursum tenuerunt. Quo M. Cicero ubi primum adpulit, nihil festinare statuit, seque non ante vela daturum nuntiavit, quam mare bonam navigationem portenderet; nam cum usque ad Gyărum insulam bene atque iucunde navigasset, hac insula post tergum relicta, saevo non adverso vento navigium impellente, citius quam suspicatus erat Delum pervenerat, adeo tamen fluctuum agitatione fractus ac perturbatus ut procelloso mari se diutius committere nollet.

Pater nauseat, filius iucunde navigat.

Aegre ille navis iactationem ferebat ac, si forte tempestas minus idonea esset ad navigandum, nausea perpetuo laborabat. Sedebat miser in angulo quodam navigii, rudentibus in orbem circumvolutis fultus, ore exsanguis, languescente collo, vitreis oculis interdum prominentibus, quotienscumque omnium in conspectu ingestum cibum evomere cogebatur.

At filius, qui nullam a navigii agitatione molestiam haberet, raro nauseanti patri aderat, non quo parum pietatis in illo esset, sed quod rerum novitate summopere adliciebatur, eaque notabat quae prima itinera facientibus insolita ac mira videntur. Praetereuntes insulas adtonitis oculis, ut adulescentuli solent, recensebat: Ceo, Gyărum, Syrum, quae alia aliam sic subsequebantur, ut si Asiam petentibus iter monstrare vellent. Delphinos etiam spectabat interdum, qui curvo dorso inter fluctus edito, quasi pueriliter ludentes, eadem celeritate et navis sulcum post puppim petebant, et longe a nave in altum revertebantur.

Cicero cum Marco patre patruelique fratre in Asia moratur.

Ephesum tandem pervenerunt quinto et decimo die postquam Athenas reliquerant. Asia provincia M. Ciceronem iter in Ciliciam facientem admirabiliter accepit. Venit etiam a re-


gno suo, ut illum salutaret, Deiotărus rex, qui amice atque officiose praeter ceteros se gessit. Vetus hic ac fidissimus amicus populi Romani, rex a Senatu appellatus erat, atque iampridem ad Ciceronis familiaritatem se adplicuerat. Paucos dies Ephesi moratus M. Cicero, qui, proconsul cum esset, in Cilicia provincia exercitui praeerat, ad aestiva castra est profectus. Cicerones vero Deiotărus secum duxit. Dionysius servus adulescentulos sequebatur, sedulus ille quidem et doctus studiorum praeses, sed ingenio difficili et moroso, atque, ut pueri illi dictitabant, furenter irasci solitus.

Dum Cicero eiusque patruelis frater apud Deiotărum in Galatarum finibus bellissimo quodam loco morantur, crebri nuntii adlati sunt de M. Cicerone proconsule provinciam suam fortiter administrante: bellum illum gerere, acerrimos hostes in acie caedere, munitissima loca oppugnando capere. Gloriabatur Cicero atque cum patrueli fratre frequentiores areas circumiens res a patre gestas omnibus, ut quisque obviam venerat, enarrabat. Sed Graeculi homines, quamquam narranti attentissimas aures praebebant, vixdum ille discesserat, alius alium cum malevolo risu intuentes, non maiorem gloriam M. Ciceronem adepturum fuisse aiebant, si muscarum exercitum vel formicarum agmina fudisset: vere illum Pindenissitas armis superasse, sed Pindenissitae qui essent, antequam M. Cicero cum proconsulari imperio in Ciliciam venisset, neminem in Asia audivisse.


Quomodo M. Cicero cum Pindenissitis bellum gesserit.

Quid M. Cicero in provincia sua egerit paucis explicandum est. Parthorum regnum semper Romano imperio infestum fuit. Cum igitur graves nuntii de Parthis venirent, hostesque Ciliciae imminere dicerentur, Cicero, ne qua improvisa hostium incursio se necopinantem opprimeret, ad Amanum montem contendit, qui Syriam a Cilicia dividit. Mons plenus erat hostium, quorum magnum numerum Ciceronis copiae occiderunt. Pindenissum deinde contendit. Feri homines et acres et omnibus rebus ad defendendum parati,

oppidum illud munitionibus saeptum tuebantur. Cuius moenia Cicero vallo et fossa cinxit. Aggerem maximum exstrui iussit, turremque altissimam admoveri; magnam tormentorum copiam opportunis locis collocavit. Semel atque iterum milites moenia vel admoto ariete labefactare, vel testudine facta capere conati sunt. Serius tamen quam speraverat magnoque labore Cicero negotium confecit; nam septimo et quinquagesimo die postquam eos oppugnare coeperat, Pindenissitae se dediderunt. Cicero ab exercitu imperator appellatus est.



« admoto ariete ».



« testudine facta ».

Cicero cum patre in Italiam redit.

Anno quarto et septingentesimo ab U. c. (= 50 a. Chr. n.) M. Cicero Cilicia provincia decessit. Totum fere mensem Athenis commoratus navem in Italiam rediturus conscendit brevique, bonam ac certam tempestatem nactus, Brundisium adpulit; Cicerones illum et Dionysius servus comitabantur.

Vehementer Cicero filius gavisus est cum sibi e portu urbem petenti Terentiam matrem obviam venientem vidit. Romam illa reliquerat ut quam primum redeuntem filium reviseret. Nihil exoptatius Ciceroni, nihil carius matris adventu fieri potuit. Quae oscula, qui complexus fuerunt! Multa mater de longo illo itinere est percontata, multa filius et de se et de patre et de iucunda patruelis societate narra-

vit: quicquid acciderat non sine quadam puerili vanitate referebat. Locorum amoenitatem, aedificiorum splendorem, navigationis casus verbis effingere conabatur, omnia, ut adulescentuli solent, in maius augens.

M. Ciceronem, Romam reversum, bellum civile imminens maerore adficit.

At reditus M. Ciceronis in patriam nec splendidus nec laetus fuit. Speraverat ille, qua erat ingenii levitate, fore ut a Senatu sibi triumphus decerneretur, quod Pindenissitas, metuendos hostes, profligasset atque a victore exercitu « imperator » appellatus esset. Sed nec quicquam in petendo triumpho profecit et excitam civitatem ac penitus turbatam invenit: incertum rei publicae statum; magnam dissensionem ortam inter Caesarem et Pompeium; ambiguam Senatus fidem; viros, qui boni vocabantur, metu suspensos nec inter se consentientes: postremo civile bellum procul dubio imminere.

In Formianum igitur recessit atque de re publica, prout vulgi rumores ad illum adferebantur, cotidie magis timere coepit. Tam anxio, tam sollicito animo erat, ut quodam die ad Atticum, amicum suum, quasi divina mente instinctus, scripserit: « Pace opus est; ex victoria cum multa mala, tum certe tyrannus exsistet ». Quae verba non multo post civilis belli exitus comprobavit.

Cicero filius se cito vestem puram induturum sperat.

At Cicero filius, quamquam spe deceptus, quod frustra triumphantem patrem se spectaturum sibi finxisset, summopere tamen laetabatur domi se apud matrem esse, diemque illum exspectabat quo sibi toga esset induenda. Mos erat enim Romanorum ut adulescentuli qui septimum et decimum annum agerent, praetexta deposita, vestem puram sumerent. Nam praetexta, purpurea fasceŏla ornata, puerile vestimentum erat; nec quisquam Romanus civis putabatur, nisi toga pura indutus ambularet.

De Romanorum vestitu.

Multum mores nostri a Romanis differunt; sed maxime in vestimentorum habitu. Id tamen nobis, recentioribus hominibus, cum antiquis commune esse constat, quod alia virorum vestimenta sunt, feminarum alia. Apud Romanos igitur viri et mulieres, ut aetate nostra, vestitu distinguebantur, nec timendum erat ne, si quis forte M. Ciceronis uxorem procul vidisset, dubius haereret utrum Terentia illa esset, an M. Cicero. Nec vestimentis solum mulieres a viris differebant, sed et calceamentis et ornamentis et comendae comae ratione: ut brevi praecidam, toto corporis cultu.

Virorum vestimenta erant: *toga*, *tunica*, plurima insuper *palliorum* genera. *Stola* pro toga mulieres utebantur, *muliebri tunicae* superinduta. Stolam *ricinio* vel *palla* tegebant.



« toga domestica ac propria Romanorum vestis erat ».

De Romanorum toga.

Inter virilia Romanorum vestimenta primum locum *toga* obtinebat, quae quidem domestica ac propria Romanorum vestis erat, atque eo usque civis Romani dignitatem palam faciebat ut populus Romanus a Vergilio poeta « gens togata » sit vocatus. Lanea vestis erat, oblonga, angulis in extremitate rotundatis, eiusque longitudo hominis staturam dimidio superabat. Hac veste, prius ita plicata, ut superpositae partes latitudine impares essent, Romani togam componebant, neque ante togam ad pedes fluere sinebant quam aliquot *sinus* ex illa fierent laxioresque vestis partes in nodum colligerentur, qui *umbo* vocabatur.

Haec tam perplexa tamque augusta et magnifica vestis, cum civium adspectum graviorem faceret, maiestatem illam addebat, quam hodie quoque in Romanorum statuis admiramur.

De togarum varietate.

Togam cum dicimus, toga pura intellegenda est. Togam purpurea fasceŏla distinctam, quam *praetextam* vocabant, pueri, ut supra dictum est, induebant, et magistratus: hi ut muneris dignitatem veste ipsa ostenderent, illi ut aetatis innocentiam.

Triumphantes imperatores magnificam ac sumptuosam togam induebant, quae, cum palmulis acu pictis ornata esset, *toga picta,* vel *toga palmata* vocabatur. Augures vero ceterique sacerdotes *trabea* in publico utebantur: toga haec erat variis coloribus intexta.

Romani, cum stipendia mererent, *sago* utebantur. Domi igitur togam induebant, in bello sagum, ut apud illos toga civilia iura indicaverit, sagum militiae officium. Imperator vero, ut ab omnibus dignosceretur, purpuream vestem induebat, cui nomen erat *paludamentum.* At si forte sacrificium aliquod de more maiorum in ipsis castris faciendum erat, togam imperator induebat, ita circa pectus advolutam, ut expeditis bracchiis omnia quae ritus posceret perficeret. Haec ratio togae induendae *cinctus Gabinius* vocabatur.

De tunicis.

Tunica duobus modis dicebatur; nam hoc verbo et linteus amictus significabatur quo nos quoque cutem corporis a crassiorum textilium contactu defendimus, et lanea illa vestis, quam viri inter tunicam interiorem induebant et togam, mulieres vero inter linteam illam tunicam et stolam. Qui senatorii ordinis erant, latam fasciam ex purpura tunicis adsuebant, exiliorem equites: *latum clavum* illum vocabant, hunc *angustum.* Duabus *plagulis* tunica confecta erat, quarum altera in virilibus tunicis usque ad genua extremis oris descendebat, altera ad medios poplites. At contra muliebres tunicae talares erant. Viros huiusmodi tunicas induere magnum dedecus ac flagitium habebatur. Quo melius tunica adhaereret, cingulo vel zona medio corpori adcingebatur. Nullae vero manicae hac aetate tunicis addebantur; nam ma-

nicatas tunicas habere contra bonos mores erat. Huiusmodi tunicae primum extremis imperii Romani temporibus etiam a viris honesto loco ortis indui coeptae sunt: *Dalmaticae vestes*, vel *colobia* vocabantur.

De ceteris virilibus vestimentis.

Multis et variis vestimentis praeter togam et tunicam Romani utebantur, vel togae superinduendis, vel togae loco induendis. *Pallium* spissus quidam amictus vocabatur, togae officio similis, brevior tamen et simplicior. Non multum a pallio *paenula* differebat, iter facientibus aptior, humeros ac plerumque caput quoque obtegens.

Genus alterum pallii, *endromis* (vel *endromida*) ad id erat idonea, ut grave integumentum praeberet, si improvisus imber coortus esset, vel si post palaestrae ludum fessum ac sudore madidum corpus veste statim involvi oporteret. Crassiores alii amictus, ut *birrus* et *bardocucullus*, adsutis *cucullis* caput tegentibus praediti erant.



Cucullus.

Lacerna, cuius usus post Ciceronis aetatem invaluit, brevis erat expeditaque vestis, quae cotidianis negotiis operam dantibus celeriorem quam toga incessum reddebat, motusque corporis agiliores. *Synthĕsis* vero cenatoria illa vestis vocabatur, quam in conviviis comissantes induebant.

De muliebribus vestimentis. Quae vestis caracalla fuerit.

Antiquis temporibus toga fuit commune vestimentum virile et muliebre; sed mutatis moribus iamdiu Romae mulieres *stolam* tunicae iniciebant, cuius in extrema ora purpurea fascĕŏla, *instita* dicta, adsuta erat. Subter stolam binis

tunicis utebantur, quarum interior *subucula*, vel *interula*, vel *indusium* vocabatur.

Inter feminarum vestes a serioris aetatis scriptoribus etiam *caracallae* mentio fit. Duo caracallae genera fuisse accepimus, cum eodem nomine Latina lingua et muliebrem vestem et virilem significaret; brevis altera erat, sine manicis, plerumque sumptuosa, talaris altera virisque mollioribus apta. Hanc ideo postea *Antoninianam* vocatam esse tradunt, quod Imperator Antoninus ea veste indutus inter milites versari soleret. Ex quo factum est ut vestis ab imperatore nomen duceret, imperator a veste; nam in consuetudinem venit imperatorem illum, pro Antonino, Caracallam vocare.



« mulieres stolam tunicis iniciebant ».


De Romanorum calceamentis.

Quoniam de Romanorum vestitu tam multa disseruimus, pauca de calceamentis addamus oportet, ne quis forte credat senatum populumque Romanum nudis pedibus per Urbis vias ambulasse, aut nudis pedibus Ciceronem fuisse, cum diceret: «Quousque tandem Catilina...?». *Calceis* Romani utebantur et *soccis* et *soleis*. Ex corio confectus *calceus* pedem totum tegebat cruribusque, quo aptius adhaereret, loris quibusdam adligabatur. At *socci* leviores erant lorisque omnino carebant. *Soleae* autem, quae sic circumcisae erant, ut pedis formam referrent, digito pollici subtilibus *habenis* adligabantur plantasque tantum obtegebant, non ita ad arcendum frigus aptae, ut ad cutem contra soli duritiem muniendam. Simplici corio aliae confectae erant, concinniores aliae et coloratae, interdum laneis pannis intus adsutis praeditae. Solearum habenas antiqui scriptores *amenta* vocant vel *obstragula*. A soleis non multum *crepidae* (vel *crepidulae*) differebant, quarum usus a Graecis cum ipso nomine est importatus; utrique pedi aptae erant, vel dexte-


ro vel sinistro, atque ita confectae, ut pedis digiti non omnino nudi relinquerentur.

Militare calceamentum *calĭga* erat, ex quo aliquot post annos Imperator Caligula cognomen duxit, quod, tum etiam puer cum esset, caligatus inter milites versari coeperat. Vilioribus calceamentis plebecula in urbe, rustici homines in agris utebantur, velut *peronibus* et *sculponeis*. *Sculponeae* nomine lignea quaedam solea significabatur; rude corium pedibus atque talis advolutum *pero* erat.

Muliebria calceamenta hoc tantum a virilibus differebant, quod levius pedem premebant variisque coloribus infecta vel illĭta erant. Quae ditiorum mulierum pedes tegebant, purpurea erant vel aurata, saepe etiam margaritis distincta atque gemmis. Namque eo tempore infimae plebis feminae rudibus calceamentis utebantur, vel omnino carebant; honestae feminae pretiose calceatae ambulabant.



Calceus.



Calceus patricius.

De calceis.

Idem erat in calceamentis *calceus*, quod in vestibus toga; nam genus hoc ornatus Romani sibi proprium ac domesticum putabant. Sed calceis in publico utebantur, in aedibus soleis. Utrumque enim indecorum videbatur, et sine calceis foris versari, et cum calceis domi. Si quis igitur vel suam ipsius vel alienam domum intraturus erat, statim, calceis depositis, pedes in soleas intromittebat.

Simplex calceorum corium erat quo privati homines pedes tegebant, nullo ornamento addito. At contra qui in re publica eminebant, calceis ipsis nobilitatem suam ostendebant, ut patricii viri et senatores. Calceus *patricius* ruber erat, *senatorius* niger; uterque teretibus quibusdam corrigiis suris adligabatur, eburneis *lunulis* ornabatur.

Quomodo Romani caput operire consuerint.

Mos quondam priscis Italicis populis fuit operto capite in publicum prodire; sed Ciceronis aetate mos ille antiquus eo usque in desuetudinem venerat, ut si quem capite pilleum gerentem praetereuntes vidissent, id ipsum libertini hominis condicionem palam faceret. Nam liberi aperto capite ambulabant, cum pilleo liberti, servi vero nullo capitis tegumento, sed capillis rasis. Inter servos enim ii tantum pueri qui in conviviis pocula ministrabant promissam comam gerebant. Si quis tamen longum iter facturus erat, lato tegimine utebatur quod *petăsus* vel *causia* vocabatur; eodem modo illi qui in theatro vel in circo sedentes ludos aestivo tempore spectabant caput a solis radiis defendebant. Qua vero forma petăsus a causia internosceretur, ab antiquis scriptoribus traditum non est.

Mense decembri, cum Saturnalia Romae celebrarentur, cives etiam pilleati erant; nec togam induebant, sed synthĕsi, ut in symposiis, induti per Urbis vias versabantur, ut ornatu ipso significarent Saturno rege pares omnes homines fuisse.

Matronas aperto capite ambulare Romani mores non sinebant. Neque tamen Romanae mulieres huiusmodi capitis tegiminibus utebantur, quae nostrae aetatis matronae comis suis imponere solent atque, ubi primum prior forma obsolevit, sic aptari iubent ut saeculi libido poscit. Quod nos « cappello » vocamus antiquis temporibus nullum erat. Limbo vestis super caput reducto Romanae matronae plerumque velabantur; taeniŏlae vero quae capiti innectebantur mulierum capillos eodem tempore et exornabant et tegebant.

Cicero vestem mutat.

Sed, ut ad Ciceronem nostrum revertamur, unde haec digressio de Romanorum vestitu initium habuit, Arpini ille togam puram accepit. M. Cicero pater, cum epistulam T. Pomponio Attico missurus esset (eidem illi cui ante

septem et decem annos se filiŏlo auctum nuntiaverat), haec verba adiecit: « Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi, idque municipibus nostris fuit gratum ». Non enim tempora sinebant Romae, ut mos erat, filium in foro magna cum sollemnitate deductum amicis et clientibus ostendere, ut novum illi togatum civem plausu, donis, bonis ominibus exciperent. Bellum civile enim exortum erat, nec Cicero ignorabat auctoritatem suam, qua paucis ante annis mirum in modum floruerat, tum pariter cum rei publicae libertate perisse.

Cicero de toga pura praeter modum gloriatur.

Postquam Cicero filius vestem mutavit, quisnam Arpinatium illum togatum non vidit? Omnes oppidi areas, vicos, vias forumque totum, huc illuc excurrens, frequentabat, ut vel caecis, si posset, togam suam ostenderet. Magnum illius famulis negotium erat togam cotidie componere. « Nonne vides », furens exclamabat, « ut male toga defluat, quam non concinnus sit umbo? Quid cessas, inepte, hos sinus aptius accommodare? ». Horam unam, horam alteram; nondum res ad exitum perducebatur, nec prius servi a magno metu recreabantur, quam ille, bis terve cervice in omnes partes flexa togaque undique circumspectata, tandem « Optime! » dixisset.

Tum magnifice domo exibat: togatam pupulam diceres.

Quantum incommoditatis toga adferat.

Cum Cicero quadam die ante meridiem domum revertisset neque adhuc togam deposuisset, occurrit illi in atrio vir ille maledicus, de quo supra mentionem fecimus. A quibusdam senatoribus missus Roma Arpinum venerat ut secretas litteras M. Ciceroni traderet. Quo conspecto Cicero:

« Quomodo vales? » inquit.

« Bene », respondet ille, « ut tempora sinunt. At nunc quod te bene valentem video gaudeo laetorque ».

« At quem videre putas ? ».


« Quem, rogas ? Te, opinor, nam nemo alius hic adest ». Tum Cicero:

« Marcum Ciceronem vides, Marci Ciceronis filium, virum togatum ».

Quatit ille caput: « Toga quid sit, infelix, nondum nosti: sescenta habet incommoda. Miseret me tui, Marce, vir togate ».

Obstupuit Cicero, atque: « Non intellego quid dicas », inquit.

At ille: « Audi. Vestis ista magnifica, ut hinc incipiam, artus implicat et coercet, crura impedit, incessum tardiorem facit. Num tu, Marce, togatum hominem celeriter currentem vidisti unquam ? Eadem pulverem aestate colligit, hieme lutum. Vel si mundam induisti, brevi sordescit eamque fulloni tradas oportet detergendam aut lavandam. At fullones, opinor, bene nosti: pro parva opera mercedem magnam exposcunt: artifices vocantur, fures sunt.



Fullones.

Quid, quod ardente canicula, si toga ista involutus ambules, in sudorem te dissolvi necesse est ? Haec vestis tamen quae aestate tam gravis est, non satis corpus a vento hieme defendit; frigus undique admittit, crura ventilando horrore perstringit, ac tam celeriter humiditatem concipit, ut, si paullulum modo decidente imbre madefiat,

in spongiam, ut ita dicam, conversa te toto corpore tremere ac dentibus crepare cogat. Quam saepe, fateor, plebeiis hominibus invideo, qui in foro atque in viis versantur sola tunica induti. Beati mihi videntur illi. Nos vero, ex quo togae inservire coepimus, vivendi iucunditatem amisimus. Quando enim illam deponere licet? Togatus magistratus adis, togatus patronum comitaris, amici funus sequeris, apud praetoris tribunal, testis vocatus, ades. Togatus etiam, quo officio nullum miserius est, primo mane potentioris hominis in vestibulo inter stantes atque oscitantes clientes exspectas dum ad salutationem matutinam admittaris. Manumissus servus mihi videor quotienscumque domi meae, toga deposita, sic tandem vivere incipio ut mihi libet ».

Tristis Cicero haec verba audivit nec quicquam respondit. At fertur ex illo die minore togae studio flagrasse.

Mutata veste Cicero liberiorem vitam degit.

Mutata veste Cicero vitae quoque rationem mutavit, atque, sive Arpini erat sive in Urbe, liberius in publicum prodibat ac frequentioribus locis, nullo custode subsequente, inambulabat. Si quando pater illum aliquot dies Romae morari permiserat, communem vitam cum aequalibus suis agere solebat, nec quicquam sibi gratius fatebatur esse; nam socium sibi addiderat, cum patrueli fratre Quinto, adulescentem quendam, nomine Acidinum, cuius pater spectatis moribus atque insigni in re publica integritate ab omnibus colebatur. Ante meridianas horas cum illis in Campo Martio erat ibique vel equitando vel cum aequalibus certando corpus exercebat, ut se ad militiae duritiem adsuefaceret. Post meridiem vero per vicos omnes errans serpentes multitudinis rumores et captabat et diffundebat.

Inter Pompeianos equites Cicero apud Pharsālum pugnat.

Insequenti anno postquam vestem puram sumpserat, Cicero prima stipendia in equitum turmis meruit, atque in Pompei exercitu apud Pharsālum pugnavit; unde post illam

cladem a Pompeio acceptam Romam revertit sine gloria ille quidem, sed sine dedecore et infamia. Nam cum Caesaris milites infestis pilis citatoque cursu Pompeianos equites adorti sunt strictisque gladiis comminus pugnare coeperunt, fortissime Cicero cum ceteris equitibus legionum impetum tulit. Ubi vero Pompeianae turmae, quamvis strenue pugnantes ac resistentes, ab aliis Caesarianis cohortibus, recentibus atque integris, se a latere peti senserunt atque, a paucis initio fugae facto, universi terga verterunt, tum Cicero saluti suae magis consulens quam bellicae virtutis laudi, fugientibus omnibus, et ipse in fugam se dedit.

Pater maeret, filius otiatur.


C. Iulius Caesar post Pharsalicam victoriam Pompeique mortem adversariorum copiis in Libya atque in Hispania profligatis Romanarum rerum unus est potitus perpetuamque dictaturam adeptus sic omnibus imperare coepit, ut praeter nomen regia penes illum potestas esset. Tristis M. Cicero pater amissam libertatem deflebat atque solacium illud quaerens, quod unum temporum iniquitates bonis viris offerre solent, in philosophĭae studia totus incubuerat.

Sed filius eius Cicero, ut sunt adulescentium animi ad iucunditatem vitae proclives, otii voluptatibus quocumque modo poterat fruebatur. Quin etiam, quo liberiorem vitam sibi degere liceret, a patre petierat ut sibi vel domum Romae conduceret, vel peregrinanti sumptus faceret. Otiabatur interea; mane, ut prius consueverat, in Campo Martio versabatur, post meridiem in balineis. Eo enim post horam nonam magna civium pars, cotidianis negotiis exactis, solebat convenire, ut commode lavarentur atque vel pila ludendo vel cum amicis colloquendo tempus tererent. Nam Romae declinante die vel sapientibus ac severis viris otiosis licebat esse.

De Romanorum balineis.

Extremis rei publicae temporibus, quamquam Romani cives iampridem priscis rusticisque moribus exutis mundiori

cultui studere ac frequenter in balineis publicis lavari coeperant, nondum tamen magnificentissimae illae thermae in urbe surgebant, quae posterius sub principatu aedificatae sunt, ut (ne omnes, quae multae sunt, enumerem) Neronianae thermae sub Nerone, Antoninianae sub Caracalla: illae quod optime calefactae essent saepe ab antiquis laudatae, hae propter amplitudinem ac magnificentiam insignes. Plurima tamen et privata et publica balinea erant, quae in quotidiano sermone distinguebantur, cum privata neutro



Singulae thermarum partes.

genere indicarentur, publica feminino, atque altera balinea (vel potius balnea) vulgus vocaret, alteras balneas. Sumptuosae thermae primum sub Augusto, Agrippa auctore, aedificari coeptae sunt.

De variis thermarum locis.

Corporis lavandi cura cum diversa loca, tum varia hominum officia poscebat; ideoque singulae thermarum partes singulis lavationis momentis apta erant.

Apodyterium vocabatur ea thermarum pars, ubi, nudato corpore, lavantes vestimenta deponebant. Ad quae acci-

pienda plurimi loculi in apodyterii parietibus cavati erant, nullo tamen ostiŏlo praediti, ut ditiores homines, ne fures exutas vestes auferrent neve quis ob neglegentiam mutaret, servulo illas custodiendas traderent.

Locus ad frigidam lavationem aptus *frigidarium* vocabatur, ad calidam *caldarium*. Sed cavendum est ne quis credat, ut falso nonnulli definiunt, *tepidarium*, quo nullae thermae carebant, locum quendam esse in quo illi lavarentur qui tepida aqua ablui cuperent; nam cum modico calore locus ille teperet sedilibusque vel scholis ubique instructus esset, ad id unum adhibebatur, ut inter frigidam et calidam lavationem mora aliqua interponeretur.

Tepidario plerumque *Laconicum* coniunctum erat, angusta quaedam cella, magno flammarum vapore calefacta, ut fervens aer abundantem sudorem e lavantium corporibus eliceret. Ideo et *assa sudatio* vocabatur.

Nec deerant in thermis *piscinae natatoriae*, si quis in aqua frigida natare vellet, neque *unctorium*, ubi cutis unguentis peruncta fricabatur, neque *sphaeristerium* pila ludentibus aptum.

Desidiosi viri, vel qui seniores essent aut corpore infirmo, in labris singuli lavari malebant, vel nudo corpore solis calorem cute excipere, quod quidem *apricari* dicebatur.


Cicero circenses ludos spectat.

Nihil agens Cicero per urbis vias vagabatur, cum obviam illi Acidinus fit, arreptaque dextera: « Nisi forte quid habeas », inquit, « quod hodie magis te adliciat, pergratum mihi feceris si mecum veneris. Magnus enim ludus gladiatorius nuntiatus est. Visne me comitari ? ».

Cui Cicero: « Cur non ? Otiosus sum, neque unquam gladiatorum paria armis dimicantia vidi; at saepe audivi magnam delectationem hoc spectaculum adferre ».

Circum intrant; adsidunt; spectant. Post sollemnem certaminum adparatum ludus incipit. Splendidis armis induti gladiatores alter alterum petunt.

Dum gladiatores proeliantur, Acidinus Ciceronem adloqui non desinebat: « Videsne », aiebat, « ut Thraex non libenter moriatur? Languidulus est in iugulo ad vulnus porrigendo; male artem suam didicit ille! At contra, quam audacter prius Syrus occidit! Quam non timide mortale vulnus excepit! ».



« post sollemnem certaminum adparatum ».

Plebs interea, sanguinem sitiens: « Ure! Verbera! » clamitabat; « Vicisti illum strenue; occidere quid cessas? », ac pollice verso conviciis ac probris moriturum consectabatur.

Retiarium peritissimum eo die corpore ingens *secutor*, et ipse in arte sua non mediocriter versatus, propius invadere ac gladio vulnerare temptabat. Caput hic galea, corpus scuto tegebat; nudo capite ille, nudis pedibus, brevi tan-



« dum gladiatores proeliantur ».

tum tunica indutus manu altera tridentem, altera ferreum rete agitabat, summopere vitans ne se adversarius comminus pugnare cogeret. Incertus pugnae exitus videtur. Celeri pede secutor tamquam fugienti instat; at retiarius, tempore opportuno arrepto, rete ex improviso iacit, secutorem ita advolvit, ut vix moveri possit, impeditum adgreditur atque bis

terque tridente in ventrem infixo, laceratis extis expirantem in harena Circi relinquit.

Tum spectatores ardenter plaudere, clamores ad caelum tollere, conviciis petere et sibilis ut secutor statim iuguletur.



Retiarius; secutor.

Postquam e Circo exierunt, Acidinus Ciceronem rogavit: « Quid tibi ludi gladiatorii visi sunt? Neglegentius, nisi fallor, spectabas ».

Cui ille: « Iucundius quiddam esse putaveram. Idem semper est; mactantur in Circo homines, ut apud lanium boves. Neque tamen ista displicent ».


Cicero Athenas proficiscitur.

Eadem erat et in Cicerone filio peregrinandi cupiditas et in eius patre ardens quaedam et ambitiosa voluntas ut apud Graecos ille in severiora studia incumberet eamque doctrinam hauriret, qua excultus ad summos honores posset aliquando pervenire. Cum igitur Cicero quadam die Marcum patrem adisset ab eoque petisset ut per illum Athenas proficisci sibi liceret, ubi, si Cratippum, qui summus eius aetatis philosophus habebatur, ceterosque doctores audisset, multum se in studiis speraret profecturum, tantum abfuit ut pater id abnueret vel quicquam obiceret, ut contra, lacrimis obortis, ita responderit:

« Consilium probo, fili mi, tibique plaudo. Nam tristissimis his rei publicae temporibus haec una spes maerorem meum leviorem facit, fore ut talis filius meus sit, qualis ipse fui ».

Quae cum dixisset M. Cicero, vir optimus, sed vanus et gloriosus laudumque suarum usque ad fastidium osten-

tator, coepit coram filio elata voce scaenicoque gestu versus plurimos ex illo poemate recitare, quod in suum honorem ipse composuerat, atque « De consulatu meo » inscripserat.



Arma gladiatoria.

Postquam pronuntiandi finem fecit, demisso capite diu conticuit. Deinde:

« Haec omnia », exclamavit, « frustra fuerunt. Vixi. Florui. Nulla iam est omnino res publica; nullus ego ».

Nihil sine nummis fieri se Cicero probe didicisse ostendit.

At Cicero, patri obsequens, cum versus illos, quos iamdudum memoriter didicerat, attentissime audivisset, brevi mora interiecta: « Velim, pater, mihi ignoscas, » inquit, « si id te rogo quod ad peregrinationem meam non mediocriter pertinere censeo. Satisne pecuniae habes ad id quod statuimus? Nam mihi, filio tuo, non licet Athenis sine aliquo decore vivere. Metuo enim, si parcior sim, ne mihi omnes pauperiem obiciant, sordes tibi ».

Cui Marcus: « Bono animo sis, mi Cicero; omnia iam providi. Haud ignoras aliquot mihi domos in Aventino atque in Argileto esse pensione non parva ab inquilinis conductas. Ex illarum mercedibus quod tibi opus erit suppeditabo ».

Post aliquot menses Cicero Athenas profectus est.

Cicero Athenis philosophos atque rhetores audit.

Athenis cum esset, Cicero non unam eandemque vitae rationem sequebatur. Interdum philosophorum ac rhetorum scholas magna cum diligentia frequentabat; interdum epulis ac vino, quibus ex adulescentulo praeter modum deditus erat, tanta intemperantia indulgebat, ut litterarum studia omnino neglegeret, vel ebrietate impeditus vel somno. Rumor erat saepius illum, Athenis relictis, per Graeciam totam esse peregrinatum, voluptates illas sectantem, quae ganeonem potius ac dissolutum hominem decerent, quam adulescentem severioribus studiis deditum.

Condiscipulos Athenis habuit nonnullos optimatium filios, ut Acidinum illum quem supra memoravimus, Bibulum, Messallam, alios. Quem in numerum sponte ac libenter Venusinus quidam adulescens adscitus est, humili loco natus (nam pater eius libertinus erat) sed promptus, sermone iucundo, incredibili quadam vi ingenii praeditus, amicus idem fidus ac probatus. Horatio Flacco nomen ei erat, nec temere plerique dictitabant magnum illum poetam aliquando futurum.

Nuntius de caede Caesaris Athenas adfertur.

Crebri interea de Romanis rebus nuntii Athenas adferebantur: potentiorem in dies Caesarem fieri; sed quo ampliores honores ad illum a Senatu essent delati, eo maiorem in eum adversariorum invidiam fieri. Amicos eius praeter modum superbire; viros optimos aut ad adulationem coactos, aut a re publica omnino amotos. Talia in Graecia de Italicis rebus nuntiabantur. Horruerunt omnes, cum ex im-

proviso adlatum est coniurationem adversus Caesarem esse factam, ipsumque viginti tribus vulneribus confossum in Curia, iuxta statuam Cn. Pompeii, trucidatum esse. Coniuratos Capitolium occupavisse, dictaturae honorem in perpetuum esse sublatum.

Octavianus societatem init cum Antonio et Lepido.

Ubi primum nuntius de caede Caesaris Athenas perlatus est, Acidinus, nulla mora interposita, e domo se proripuit, ut quam primum Ciceronem conveniret. Occurrit illi in via ad se properante gressu venienti.

« Audistine », inquit, « quid de Caesare adlatum sit? Periit ille tandem; coniuratorum pugiones libertatem nobis restituerunt ».

At Cicero contracta fronte, ut qui suspenso animo esset et sollicito:

« Audivi », inquit, « sed quinam rerum exitus futurus sit nemo adhuc providere potest. Omnia in ambiguo sunt. Vide ne nimis mature laeteris. Caesar occidit; Antonius vivit. Saepe enim patrem meum audivi cum diceret alterum Caesarem illum esse, plebi aeque acceptum, moribus Caesare nequiorem, atrociorem animo. Rumor est Bruti facinus Romanae plebi non esse probatum ».

Nec fallebatur. Cum enim brevi tempore civile bellum in Italia exarsisset, quo exorto C. Caesar Octavianus et M. Lepidus Senatus partes contra Antonium secuti sunt, magna ex improviso rerum mutatio facta est. Post Mutinensem pugnam, qua M. Antonius fusus et fugatus est, M. Lepidus Caesarem cum Antonio in gratiam reduxit. Pepigerunt tres illi viri se contra omnes coniunctos fore, summoque imperio potiti lege statuerunt, ut ii qui Caesari adversati essent nullo iudicio interficerentur. Acerrime igitur in proscriptos saevitum est. Urbs tumultus et terroris plena erat. Nihil tutum putabatur, nihil sanctum. Spes una in Bruti armis erat, qui Graeciam provinciam in suam potestatem redegerat ingentique exercitui praeerat.

Cicero iter ad Romam inceptum intermittit.

Quae postquam in Graecia nuntiata sunt, Cicero, cum ignoraret non tantum patris nomen, sed suum etiam in proscriptorum numerum relatum esse, Romam iter faciebat. In itinere, cum ad mare appropinquaret, Aristocritum citato cursu ad se venientem vidit. Servus erat hic M. Ciceronis, inter cursores celeritate ac fidelitate insignis. Litteras illi ante aliquot dies a patre datas reddidit, quibus pater, quamquam nondum triumvirali potestate constituta, salutem suam in magno esse discrimine nuntiabat, uni tamen Bruto se confidere. Hortabatur igitur ut Bruti castra peteret; cito illum conaturum si triumvirum vires in acie frangi possent.

Nuntium de morte patris Cicero accipit.

Mutato itinere Cicero in Macedoniam atque ad Bruti castra, unde profectus erat, quam celerrime contendit. Complures iam dies eo pervenerat, cum Aristocritum tristi vultu redeuntem ac se inter milites quaeritantem adspexit. Adiit illum, qui quidem aliquid se de patre adlaturum renuntiavit, petiitque ut venia sibi daretur cum ipso secreto colloquendi.

Postquam Aristocritus et Cicero recesserunt, prior hic: « Quid de patre meo nuntias? Loquere ».

Cui ille: « Durum quiddam, Marce, imperas; sed vera me loqui necesse est, vel si nuntius tristissimus adferendus est. Pater tuus periit ».

Diu Cicero tacuit; sed nubilus vultus, trementes manus, contractumque supercilium quantum dolorem ex eo nuntio accepisset palam faciebant. Denique:

« Nihil novi fortasse », inquit, « nuntias; id evenit quod iamdiu metuebam. Quisnam in Antonio clementiam esse suspicaretur? Quisnam in Octaviano fidem? At, nulla re omissa, quomodo illum necaverint enarra ».

Tum Aristocritus: « Postquam Octavianus ea lege cum Antonio et Lepido societatem iniit, ut tresviri rei publicae constituendae ipsi per quinquennium essent, ac suos quis-



« infaustum omen! ».

que inimicos proscriberet, nemini iam dubium fuit quin patri tuo esset pereundum ».

« At cur », Cicero interpellavit, « cum tresviri Romam appropinquarent, urbem ille non reliquit ? ».

« Fugit ille quidem, primum in Tusculanum, deinde transversis itineribus in Formianum, ibique a propinqua ora maritima naviculam conscendit. Navis, secundo vento acta, ad promunturium Circaeum feliciter adpulit; sed ille, mutato consilio, nautis imperavit ut se Caietam deferrent. Ecce autem, cum litus adiret, densum corvorum ac graculorum agmen – infaustum omen! – ex Apollinis fano, quod in

litore aedificatum est, ex improviso evolant. Crocitantes atque importuna voce nescio quid mali minitantes, rudentibus navis, antemnis, gubernaculo insidunt. Cymbula vectus Marcus oram maritimam tetigit suamque villam adiit. Tum dirae illae aves villam invadere, limina ac fenestras rostris atque alis verberare, Marci lecto advolare, ipsius togae sinum arripere. Familiaribus admonentibus, metu ille amens ac maerore confectus navem iterum conscendit, sed cum navis iactationem ferre non posset, nautis imperavit ut rursus litus peterent. Vitae taedium eum ceperat: exclamabat interdum: “ In patria moriatur necesse est qui patriam servavit ”.

Quomodo M. Cicero iugulatus sit.

Dum ad villam regreditur obviam illi fiunt in ipso litore sicarii ab Antonio missi, Herennius centurio et Popillius tribunus. Tum ego, conservos meos adlocutus, qui mecum Marcum comitabantur:

“ Non sic ”, aio, “ Marcus noster peribit! ”.

Adnuunt illi sicasque, quas sub vestibus celatas habebant, extrăhunt, fortiter pro domino suo ad dimicandum parati. Tum Popillius armatorum turbam, quae illum comitabatur, propius accedere iubet, atque in me obliquis oculis intuens, exclamat:

“ Quae tanta audacia in servis? ”.

Cui ipse:

“ Qui pudor in sicariis? ”.

Iamque utrimque ad pugnam accingebamur. Illi destrictis gladiis, nos elatis pugionibus alteri alteros petituri eramus, cum pater tuus:

“ Lecticam deponite, pueri ”, inquit; “ ferte aequo animo quod fors iniqua cogit ”.

Prominentem ex lectica immotamque cervicem praebentem iugulant. Obtruncato capite – horribile dictu! – manus etiam illi praeciderunt, ut ea spolia Antonio deferrent, praemium pro scelere laturi ».

Ciceronis somnium.

Insequenti nocte Cicero sub tentorio iacens somnum capere non poterat. Obversabatur enim illius oculis patris imago, quae, prout illam fingebat, tempora nunc laeta nunc tristia in mentem revocabat. Cum vero primo mane gravis atque solito arctior somnus illum corripuisset, visum est illi patris simulacrum iuxta castrensem lectulum adstitisse seque his verbis compellasse:

« Ne nimis doleas, Marce fili, quod a sicario iugulatus eum vitae exitum habui, quem boni cives numquam miserari desinent. Vitam amisi, servitutem effugi; potentiorum iram expertus sum, contumeliosam victorum superbiam non pertuli. Octavianum ipsum aliquando paenitebit insontem me et inermem, ut Antonio gratificaretur, prodidisse; tu vero cave ne civium facinora in odium patriae vertas.

Quicquid acciderit, patriae inserviendum est. Patriam ego quondam ut mortuam eluxi; sed moriuntur homines, patria non moritur. Qui acceptorum beneficiorum immemor fuit, qui perfide sicariis me obiecit, pacem idem paucis post annis inter homines reducet, maria tutissima reddet, imperii Romani fines ampliores factos firmabit. In orbe pacato mitissimus regnabit; nec tibi, quod arma in ipsum sumpseris, inimicus erit. Quin etiam honoribus te augebit; eo favente consul fies. Quae munera, sic iubeo, ne respuas; nam quod tibi ille dederit, Manibus meis oblatum putabit, quos numquam se placaturum sperat, nisi cum filio meo in amicitiam redierit. Illud unum te admoneo, ne casus vitae meae unquam obliviscaris: magno documento erunt quo animo civilia officia exsequenda sint, vel si non omnia prospere sint casura. Saepe enim opinio me fefellit, saepe, fateor, erravi: sed error culpa caret, si quis patriam ante omnia dilexerit ».

INDEX

Cicero, M. Tullii Ciceronis filius, Romae nascitur . . . . Pag. 1
Filioli ortus patri nuntiatur 1
Primae infantis curae 1
Dies lustricus 2
De Romanorum nominibus 3
Ciceronis dies lustricus celebratur 3
Romana domus. Atrium, compluvium, impluvium 3
Cubicula et alae 4
Tabernae 5
De atrii usu 5
Maiorum imagines, cerae dictae 6
Cicero, homo novus 7
Fauces, vestibulum 7
« Cave canem! » 8
Ianua 8
De quibusdam Romanorum superstitionibus 10
Posticum 10
Tablinum, cenaculum 10
Andron, peristylium, triclinium, oecus 10
Suspensurae et parietes tubulati 12
Vir dicax Ciceronem oratorem adit 13
De insulis inquilinis locandis 13
De insularum incommodis 14
De insularum conclavibus 15
Tulliŏlae nuptiae parantur 15
De Tulliŏlae sponsalibus 16
De die nuptiali 17
Tulliŏlae vestis nuptialis 17
Tulliŏlae nuptiae celebrantur 17
Dextrarum iunctio 18
Quanti M. Tullius Cicero artem coquinariam fecerit 18
De Romanorum conviviis. Cena, prandium, ientaculum 19
De tricliniis 19
Cenatoria supellex 20
Quaedam parum decens Romanorum consuetudo 22
De mappa 23

De tribus cenae temporibus . . . . Pag. 23
De gustatione 23
De cena ipsa 23
De Romanorum culina 24
De iure quod « garum » dicebatur 25
De secundis mensis 26
Quos cibos Romani ignoraverint 26
De pane 28
Tulliŏlae cena nuptialis 29
Piso Tulliolam rapere conatur 29
Incipit Tulliŏlae deductio 30
Nuptialis pompa 31
« Ubi tu Gaius, ego Gaia » 31
De primis Ciceronis ludis 32
De quibusdam puerorum Romanorum ludis 32
« Par impar »; « capita et navia » 32
De « musca aenea » 33
Pueri maiores natu imitantur 33
Dexteritatis praemia 34
De primis Ciceronis studiis 35
De notariis 35
Parvus Cicero in ludum itare incipit 35
De Ciceronis scholastico instrumento 37
Calamus, scalprum, atramentum, cerae, stilus 37
Cicero in morbum incidit 38
De Romanorum medicis 38
Quomodo Romanorum medici artem suam exercuerint 39
Cicero a peregrinis medicis curatur 39
Ciceronis ancillae maledico sermone de Graecis medicis iudicium faciunt 39
Veteres morborum curationes 41
Cicero convalescit 41
De M. Ciceronis domo in colle Palatino 42
Parietes, camerae, pavimenta 42
« Nosce te ipsum » 43
De Romanorum lectis 43
De lectorum partibus 44
De Romanorum mensis 45
De varia mensarum forma 45
Cicero in Campum Martium ducitur 46
Quid de Cicerone patre audierit 46
Lex in M. Ciceronem lata 47
M. Cicero in exsilium proficiscitur 49
Pater abest 49
De re vehiculari apud Romanos 50

Cursus publicus ab Augusto ad Constantinum . . . . Pag. 51
De epistularum commercio inter privatos 51
M. Cicero ab exsilio revocatur 51
Nuntius tristis de Pisone adfertur 52
Piso moritur 52
Pisonis funus indicitur 53
Parvi Ciceronis dolor 53
Pisonis funus paratur 54
De libitinariis 54
Mortui Pisonis expositio 55
Piso effertur 55
Pisonis feretrum 56
Tulliae dolor 56
Pisonis laudatio funebris 56
Pisonis corpus crematur 57
De M. Ciceronis reditu 57
M. Cicero aedificat 58
Plebs Romana tumultuatur 58
Cicero apud patrem in Tusculano commoratur 59
De Tusculano 59
De Romanorum villa urbana 59
De villa rustica: cortes et piscinae 60
De villae rusticae parte interiore 60
De reliquis villae rusticae aedificiis 61
M. Cicero in Ciliciam proficiscitur 61
Cicero filius patrem iter facientem comitatur 62
De Romanorum raedis et carrucis 62
De ceteris Romanorum vehiculis. (Plaustrum, arcera, petorritum) . . . 64
De ceteris Romanorum vehiculis. (Cisium, essĕdum, covinus, carpentum, pilentum) 65
Athenis relictis, M. Cicero Delum adpellit 66
Pater nauseat, filius iucunde navigat 67
Cicero cum Marco patre patruelique fratre in Asia moratur 67
Quomodo M. Cicero cum Pindenissitis bellum gesserit 68
Cicero cum patre in Italiam redit 69
M. Ciceronem, Romam reversum, bellum civile imminens maerore adficit 70
Cicero filius se cito vestem puram induturum sperat 70
De Romanorum vestitu 71
De Romanorum toga 71
De togarum varietate 72
De tunicis 72
De ceteris virilibus vestimentis 73
De muliebribus vestimentis. Quae vestis caracalla fuerit 73
De Romanorum calceamentis 74

De calceis . . . . Pag. 75
Quomodo Romani caput operire consuerint 76
Cicero vestem mutat 76
Cicero de toga pura praeter modum gloriatur 77
Quantum incommoditatis toga adferat 77
Mutata veste Cicero liberiorem vitam degit 79
Inter Pompeianos equites Cicero apud Pharsalum pugnat 79
Pater maeret, filius otiatur 80
De Romanorum balineis 80
De variis thermarum locis 81
Cicero circenses ludos spectat 82
Cicero Athenas proficiscitur 84
Nihil sine nummis fieri se Cicero probe didicisse ostendit 85
Cicero Athenis philosophos atque rhetores audit 86
Nuntius de caede Caesaris Athenas adfertur 86
Octavianus societatem init cum Antonio et Lepido 87
Cicero iter ad Romam inceptum intermittit 88
Nuntium de morte patris Cicero accipit 88
Quomodo M. Cicero iugulatus sit 90
Ciceronis somnium 91

Eiusdem scriptoris:

Carmina.

Varius libellus.

De senectute – Indorum sapientia.

Maximi et Mauritii malefacta (W. Busch, *Max und Moritz*).

Fabellae pueriles (W. Busch, *Bilderbogen*).

Petrus Ericius (H. Hoffmann, *Struwwelpeter*).

Versus diabolici.

Prezzo L. 500

C.M. 630.701